

In Epistolam ad Romanos

LUIS DEL ALCÁZAR, S.J.

[f.126]

(Cuiusdam in Epistolam ad Romanos distributio)

c.1 et 2: videtur ad Poenitentiam invitare, porque donde mayores amenazas para temblar de los juicios de Dios si le ofendemos.

c.3: consuela a los pecadores para que no desesperen.

c.4: id ipsum exemplo confirmat.

c.5: id ipsum amplificatione illustrat.

c.6 et 7: induce a conservarnos en el servicio de Dios no pecando.

c.8: los privilegios rodados de hijosdalgo de los buenos cristianos.

c.9: pacificación entre los dos pueblos.

c.10 et 11: parénesis que sirvamos a Dios.

c.12: de infirmis, etc.

[f.127]

In Epistolam ad Romanos Prologus seu Praefatio

De meo instituto in huius Epistolae explicatione

1. Ab hac epistola videbatur nos deterrere illius difficultas, non solum ea quae communis est reliquis eiusdem auctoris (de qua 2Pt 3,16 et *postea*), sed etiam difficultas huius maxima prae caeteris, quam exaggerat Origenis¹ praefatio, Hieronymus² in praefatione ad Galatas, Augustinus³ in *Retractationes* c.25, et Erasmus⁴ in argumento. Neque contra sentit

¹ ORIGENES, *In Epist ad Rom praefatio*. PG 14,833.

² HIERONYMUS, *Comment in 4ep ad Gal, prol.* PL 26,333.

³ AUGUSTINUS, *Retractationes, l.1, c.24.* PL 32,623.

⁴ ERASMUS ROTERODAMUS, *In ep ad Rom Argumentum.* Lugduni 1705, t.6, col. 551.

Chrysostomus⁵ (dum ait ad populum *et vos si lectioni cum animi alacritate volueritis attendere, nullo alio proposito opus habebitis*, scilicet ad intelligendum). Sed est hoc hyperbolice a concionatore dictum conante homines allicere ad lectionem divi Pauli, et commendante vehementem in assidua lectione affectionem, cum sciret eum qui studiose legat, quavis non intelligat difficillima quaeque et totius orationis nexus, carptim tamen posse multa colligere et delibare ad spiritus profectum et animae consolationem. (Difficultatem multis in locis agnoscit Chrysostomus⁶, ut *praedestinatus est Filius Dei*). Interim quoque id nos admonere videtur Chrysostomus, in ipsis etiam difficultatibus saepe magis iuvare si attente auctorem *nocturna atque diurna manu versaveris* et intelligendi studio et humili desiderio, observando illius phrasim et loca locis conferendo praeter aliam vel industriam vel ingenii accimoniam. Praeter hanc ergo diligentiam quam (Deo favente) adhibere conabimur, id nos in hac difficultate consolatur quod utilitas sit multo maior (de quo primum contra Erasmus) et praeterea quod intelligamus non id nobis imponi ut divinemus vel confingamus ex nostro cerebro, sed nostro muneri satisfactum erit, (etiam ubi minus nobis satisfecerimus) si brevi et perspicue afferamus quod optimi quoque interpretes sentiant. Et hoc a nobis ubique observandum est, quia in Sacra Scriptura id maxime commendatur si sanctorum vestigiis insistas, tum propter eorum solidam doctrinam, tum etiam propter familiaritatem cum Deo, nam cuiusvis stilum magis noverunt et intelligunt caeteris paribus qui eum diligunt, ex Chrysostomo⁷ in Praefatione. Praeterquam quod etiam ubi discedendum est ab aliquorum Patrum sententia saltem aequum est ut eos audiamus, ad ipsam etiam plenam loci intelligentiam ne quis forte nobis vitio vertat quod tan simul in citandis auctoribus solliciti.

2. Afferemus autem non solum commentariorum explicationes, sed eas etiam diligenter quae per alios professorum libros sparsae sunt, quoniam illa quae non continuandi necessitate sed confirmandi voluntate declarantur, etsi non semper sunt adeo elaborata semper tamen videntur magis ex animo dici, neque enim cogebaris id adducere cuius tibi fortasse minus arrideret explicatio.

3. Inter has duas regulas vellem semper procedere, ut nihil omitterem quod ad Pauli sensum pertineat, et nihil prorsus adderem quod ad eam intentionem non conducatur. Scio quibusdam gratius esse in singulis dictionibus observari eius varios usus in Sacra Scriptura, notatis locis et pulchre

⁵ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1*. PG 60,391.

⁶ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1*. PG 60,397.

⁷ J. CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom argum*. PG 60,391.

explicatis ad varietatem et elegantiam et ut multa simul intelligantur. Sed nota multo difficilius esse et utilius contextum et connexionem totius orationis compraeendere quam singulas phrases vel loca seorsum accepta. Sicut in loco quodam difficili multo maioris momenti est illius constructio et sensus quam singularum dictionum significatio, nam locus ad librum eodem modo se habet quo dictio ad locum; impedit autem varietas ne ad connexionem et totius orationis vim applicetur studium et attentio, non solum in iis quae aliunde dissoluta adducuntur sed etiam in iis quae prae manibus habeas, et eripit tempus ut tribuat rei multo faciliori et minus utili. Quia ex unius epistolae quasi filo deducto et tota serie compraeensa plura et potiora colliguntur ad alia intelligenda. Nostra ergo intentio est huic filo deducendo serio incumbere et ea solum aliunde adducere quae faciunt ad nostri auctoris intelligentiam vel quae inde facile declarantur; et haec non erunt pauca nam maxime in Sacra Scriptura verum est illud *locus locum aperit*.

4. In singulis difficultatibus, more scholastico qui maxime metodicus est, variis propositis sentiis diiudicabimus quaestionem de sensu Pauli. Et in singulis capitibus brevem paraphrasim subiiciemus.

[f.127v]

An sequar vulgatam vel graecam lectionem et quid cuique tribuam

5. Vulgatae tantum tribuam quantum et Concilii decretum et nostrae Societatis observatio peculiariter tribuit, neque video quorsum spectet eius auctoritatem vel minima ex parte elevare cum numquam ab originali discrepet; sed valde imprudentis esset velle propterea linguarum cognitioni et originalium auctoritati derogare. Dico ergo ubi textum graecum compertum sit non esse corruptum (ut vel ex ipsa vulgata semper constat, maxime in Novo Testamento) maioris esse prorsus auctoritatis, ut per se patet. Quare si ibi patiatum aliquem sensum latina lectio quem non patitur graeca, ille omnino est praeter intentionem Pauli, quamvis esset alioqui accommodatior phrasi latinae. Et ut Jansenius saepe ait, praestat verba minus proprie accipere quam sensum improprium habere. Vide postea Augustinum verbo *segregatus in Evangelium Dei*. Praeterea si graeca alium permittat sensum, non est reiiciendus, quamvis magis certus sit ille qui et graecae et latinae respondet. Praeterea allusiones graecae et quidquid in graeco peculiare est omnino magis animadvertenda sunt quam ea quae fuerint propria in latino. Fateor tamen alicubi non constare de legitima lectione graeca sicut etiam habemus annotationes multas in varias lectiones Vulgatae a qua tamen non licet discedere ubi exploratum est quae lectio sit habenda pro Vulgata.

De interpraetibus quos consulo

6. Ex graecis vidi Chrysostomum, Theophylactum, Theodoretum et Oecumenii scolia vel catenam (Como el Exameron de S. Ambrosio). Quae dicuntur Origenis nescio an potius deberent Hieronymi appellari, nam magna Origenis volumina in hanc epistolam cum admiraretur Hieronymus ob doctrinae et stili perfectionem, sed partim longissima iudicaret partim multa deesse animadverteret, noluit transferre; sed integris voluminibus quae (deerat) de suo addit et multis ex Origene circumscriptis opus integrum duplo brevius edidit latino sermone. Vide ipsum Hieronymum in principio et fine operis. Crediderim tamen non solum ob Origenis honorem opus Origeni inscripsisse qui iecerat fundamentum, sed quia quae ex Origene desumebat fortasse non omnia probaret atque adeo nollet sibi tribui. Sed Hieronymi auctoritas postulat ut quoniam ipse opus laudavit, disposuit, digessit, tractavit atque perfecit, neque scimus quid addiderit, quid sumpserit ex Origene, non ita facile reiiciamus nec erroris arguamus (ut faciunt nonnulli minus considerate), maxime cum fortasse propterea nihil aliud Hieronymus in hanc epistolam scripserit: nam quae inter opera Hieronymi habentur non solum aliena sunt sed etiam pelagianis erroribus aspersa, ut notat censura Marii, Sixti⁸ etc. unde neque Primasii (discipuli Augustini) sunt cui tribuit Martinez, sed alicuius fortasse qui ex Primasio desumebat iisdem verbis fere omnia, et multa adiciebat, erroribus interim maculando.

(Vidi praeterea Theodolum, Caelosyriae presbiterum. Collectanea ex Graecis Patribus in Bibliotheca Sanctorum tomo 6; Pseudohieronymum).

7. Augustinum non habemus nisi super salutationem in Inchoata, et postea carptim in quasdam propositiones⁹; et quidem dolendum est quia Paulum prae caeteris legit Augustinus et Paulum familiarissimum habuit (ut ipse ait,) (vide indicem). Sed huic dolori pollicetur Beda¹⁰ remedium nam in fine Historiae anglorum ait ipse: *in Apostolum quaecunque in operibus Augustini exposita inveni cuncta per ordinem in unum colligens transcribere curavi* atque ita quamvis continuatam textat expositionem omnia sunt verba Augustini, quod mirabile est.

Vidi praeterea Ambrosiaster, Ambrosium, Anselmum, Thomam, Brunonem, Haymonem, Magistrum, Glossam cum suis apendicibus. Et iuniores

⁸ SIXTUS SENENSIS, *Bibliotheca Sancta*, annot. CCXXX. Venetiis 1566, p.830.

⁹ AUGUSTINUS, *Expositio quarundam propositionum ex ep. ad Ro.* PL 35,2063.

¹⁰ VENERABILIS BEDA, *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum*, l.5, c.24. PL 95, 289.

Grandem, Caterinum, Cajetanum, Adam, Claudium, Ganeii, Naclantum¹¹, Zegerum, Erasmmum, Contarenum, Vatablum, Sotum, Titelmanum, Clarium, Vallam, etc.

De auctore huius epistolae et eius nomine

8. *De auctore constat.* Sed significat Erasmus¹² per modum dubitationis Paulum forte non dictasse singula verba tertio excipienti, sed solum praecipua capita praecepisse, et scribae tribuendum esse quod non alibi servetur ordo confusior, nusquam oratio hyperbatis magis hiulca, neque crebrius in absoluta. Verum incredibilius est audaciae id velle suspicari factum ab Apostolo in epistola omnium quae unquam scripta sunt gravissima et quam ardentissimo amore scribebat quod tu non faceres in re alicuius momenti, scilicet alieno hominis imperito stilo rem totam committere. Sed de stilo postea, nunc de Pauli nomine.

[f.128]

9 *Dubitatur 1° an sit nomen latinum.* Et non videtur, —1°, quia Hieronymus semper hebraice interpretatur, quem sequitur Anselmus et alii. —2°, quia Ambrosius interpretatur graece. —3°, cur enim homo natione hebraeus et in Graecia ortus vel educatus appellaretur nisi graeco vel hebraeo nomine?

Respondeo: tamen esse nomen latinum. Sic ubique Augustinus¹³, 8 Conf., c.4, De spiritu et litera, et Ps 72, quem sequitur Primasius¹⁴, Beda, D. Thomas¹⁵, Sotus, Erasmus¹⁶, Naclantus, Cajetanus¹⁷, etc.

Probatur —1° quia constat hoc nomen apud latinos esse in usu et gentilitium, cum nullus alius vel graecus vel hebraeus possit adduci cui Paulus nomen fuerit. (En latín hay *paulus*, *a*, *um*). —2°, quia si alicuius rei significandae gratia dictus est Paulus, oportebat id nomen plane et simpliciter aliquid significare, ut videmus in omnibus nominibus hebraeis; sed neque graece nec hebraice aliquid significat ex plano usu sed nescio qua etimologia excogitata et longe petita et variatis litteris, (ut notat D. Thomas) ut a verbo πάυομαι παυλος, id est quietus, eo quod παυλις sit quies et hoc a verbo Phele mirabilis, vel nescio unde

¹¹ NACLANTUS (GIACOMO NACCHIANTI) O.P. m.1569. *Enarrationes ad ep. ad Rom.*

¹² ERASMUS ROTERDAMUS, *In Ep ad Rom Argumentum.* Lugduni 1706, t.7, col.777.

¹³ AUGUSTINUS, *Confessionum*, l.8, c.4. PL 32,753. *De spiritu et littera*, c.VII. PL 44,207. *Enarratio in Ps 72.* PL 36,916.

¹⁴ PRIMASIUS, *In Ep ad Rom comment.* PL 68,415.

¹⁵ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom 1.* Ed. Vivès, t.20, p.381.

¹⁶ ERASMUS ROTERDAMUS, *In Ep ad Rom Argumentum.* Lugduni 1706, t.7, col.773

¹⁷ THOMAS DE VIO CAIETANUS, *In Ep ad Rom 1,1.* Opera t.5, Lugduni 1639, p.1.

(ut alii variant) os tubae vel operator. —3º, ex Augustino, quia ipse Paulus videtur saepe alludere ad latinam sui nominis etimologiam; ut *ego sum minimus Apostolorum* 1Cor 15 et *mihi omnium sanctorum minimus* ad Eph 3, ubi certe si latine scripsisset, apte diceret ego vere sum Paulus inter Apostolos etc. Nosti quomodo in eius conversione cum eadem allusione diceretur *nisi efficiamini ut parvulus iste*, id est paulus iste, ex illo Mt 18 et super quem requiescet Spiritus meus nisi super humilem, Beda ex Augustino.

Ad 1º respondeo eosdem ibidem non loqui consequenter, quia simul dicunt accepisse nomen a Proconsule qui non appellabatur nisi latino nomine. —Ad 2º, ibidem Ambrosius¹⁸ 2º loco nostram subdit explicationem atque adeo videtur se corrigere. —Ad 3º, valde consonat ut qui romano iure gloriabatur romanum etiam haberet nomen et ut Apostolus gentium etc como los moriscos Hamete en casa y Juanillo fuera. Sic los indios un nombre español y otro indio, los italianos aficionados a España se llaman don Pedro etc.

10. ***Dubitatur 2º quis auctor illi fuerit huius nominis.*** Chrysostomus¹⁹ et Theodoretus²⁰ id tribuunt divino oraculo, et significant Primasius, Oecumenius et Theophylactus²¹ et quidem reddunt plausibilem convenientiam; sed destruitur ex supra dicta etimologia, nam quibus Deus mutavit nomen, maiestatis et auctoritatis nomina tribuit, non humilitatis; adde quod non id taceret D. Lucas. Ipse ergo sibi nomen elegit, ut aiunt Ambrosius et Augustinus, nisi forte fuit a puero binomius vel ab ipsis latinis coepit ea mutatio.

11. ***Dubitatur 3º quando fuit illi nomen impositum et qua ratione.*** (Constat enim a puero dictum Saul, quod latine et graece declinamus Saulus).

—1ª sententia sumit rationem ex Sergii conversione. Sic Hieronymus in Catalogo, et ad Philemonem²². Augustinus²³, 8 Confessionum c.4, et referunt Beda, Anselmus, D. Thomas²⁴, etc, apud quos invenies coniecturas et confirmationes. Sed hanc sententiam valde elevat quod Hieronymus et Augustinus non sibi constant, ut patet antea, et quod rem insolitam inducat, et minus gravem, et indignam tanto Apostolo. Praeterea refelli videtur Act 13 non quod ante conversionem Sergii dicatur Paulus (quod potuit per anticipationem dici) sed quod alia reddatur ratio, de qua postea.

¹⁸ AMBROSIIUS, *Comment in epist ad Rom 1*. PL17,49.

¹⁹ J. CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Ro homil 1*. PG 60,395.

²⁰ THEODORETUS, *Interpr Ep ad Rom 1,1*. PG 82,47.

²¹ THEOPHYLACTUS, *Expos in Ep ad Rom,1*. PG 124,338.

²² HIERONYMUS, *Comment 1 ep ad Phil, 1*. PL 26,639s.

²³ AUGUSTINUS, *Confessionum, l.8, c.4*. PL 32,753.

²⁴ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom 1*. Ed Vivès 20,p. 381.

—2^a sententia nominis mutationem tribuit conversioni vel baptismati (quae fuit ad apostolatum prima vocatio). In hac videtur esse Ambrosius²⁵, Primasius, et Theodoretus²⁶. Et Caterinus tribuit Damaso. Sed plane videtur etiam refelli a D. Luca quia saepe Saulum nominat iam Christum Evangelium praedicantem. (Grandis hanc tribuit Chrysostomo et Augustino, sed falso).

—3^a, neque Sergii conversionem expectat neque ab Apostoli conversione auspicatur, sed mutatum credit nomen progressu temporis cum in virtute magnos progressus faceret. D. Thomas²⁷ tribuit Chrysostomo, et videtur Augustini, De Spiritu²⁸, c.7, dum ait non ob aliud mutasse nomen nisi ut se parvum ostenderet. Si non ob aliud, ergo non ob Servii conversionem sed antea, ut videtur dici Act 13[9].

—4^a idem fere sequitur sed designat certum tempus quando in facie Ecclesiae sollemniter assumptus est in Apostolum per illa verba Act 13[2] *segregate mihi* etc, post quae semper vocatur Paulus. Hanc Magister tribuit Augustino et Bedae, Naclantus Chrysostomo et satis probabiliter tenet Catarinus.

—5^a, Apostolum binominem facit pro consuetudine illius temporis et pro ipsius conditione qui et cum hebraeis et cum latinis agebat. Sive a puero dictus sit Paulus propter civilizationem romanam, sive paulatim ex Saul, apud graecos Σαυλος et apud latinos Paulus unius litterae mutatione dictus sit, ut bene explicat Erasmus²⁹ in notationibus, et quotidie contingunt apud nos similia (un extranjero toma el nombre más vecino al suyo). Hanc sententiam Erasmus, Adam, Sotus et omnes tribuunt Origeni, non attendentes quod statim subdit Hieronymus qui interpreas eius libri appellatur, scilicet, se id addere de suo, eo quod Origenes non scripserit. Est ergo sententia Hieronymi (et probat ibi bene). Eandem etiam magis sequuntur Anselmus, D. Thomas³⁰, Erasmus et Soto. Sed obiicies non vacare misterio quod usque ad illa verba Act 13 *Saulus qui et Paulus*, semper appelletur Saulus et deinceps semper Paulus. Respondeo eo fortassis tempore cum iam inciperet agere cum latinis (utpote gentium Apostolus designatus) facta est illa mutatio, vel significat quod qui binomius erat eo usque apud hebraeos hebraeo nomine utebatur, et apud graecos eodem declinato more graecorum, iam tamen maluit Paulus appellari acturus cum omnibus gentibus quorum auribus erat nomen familiaris, maxime cum ad eam dignitatem evecto

²⁵ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom 1*. PL17,49.

²⁶ THEODORETUS, *Interpr Ep ad Rom 1,1*. PG 82,47.

²⁷ THOMAS AQ., *In ep. Ad Rom 1*. Ed Vivès t.20, p.381.

²⁸ AUGUSTINUS, *De spiritu et littera*, c.7. PL 44,207.

²⁹ ERASMUS ROTERDAMUS, *ad Rom 1,1*. Lugduni, opera omnia, t,6, col.553.

³⁰ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom 1*. Ed Vivès 20, p.381

placeret significatio. Et nota quod ille ipse loquendi modus *Saulus qui et Paulus* notante Hieronymo in Origene³¹, et postea multis, non tan continet mutationem nominis quam rationem cur potuerit Paulus deinceps nominari absque mutatione et absque periculo deceptionis.

De Pauli intentione seu Epistolae argumento

12. Nota primo hanc epistolam scribi ad omnes christianos qui Romae erant, quorum multi erant iudaei. Deinde per eorum praedicationem multi etiam ex gentibus, ut hic tradunt fere omnes et contextus videtur exigere. Hoc supposito:

Dubitatur 1° an aliqua occasione ad Romanos scripserit Apostolus. Nam videtur negare Chrysostomus³² ut commendet Pauli caritatem. Multi tamen eam fuisse tradunt occasionem quod christiani iudaei aegre ferrent gentium vocationem, et saltem Legem cum Evangelio iudicarent necessario coniungenda, et in eam inducerent eos qui ex gentibus convertebantur. Ita Anselmus et Ambrosii³³ prologus, Adam, et argumentum quod in Bibliis praeponi solet sub nomine Hieronymi, quod exponunt et sequuntur Glossa, Cyranus, etc. Item Augustinus in *Inchoata*³⁴. Vide postea. Cum hac occasione alii coniungunt aliam, scilicet mutuam iudaeorum et gentium contentionem singulis seipsos praeferebantibus et alios despicientibus quod describit Primasii Prologus³⁵, qui sub nomine Hieronymi habetur etiam in multis Bibliis; idem late Bruno, Magister, Caterinus, Erasmus³⁶, Sotus et breviter Tostatus in prologo Mathaei q. 18.

[f.128v]

13. Dubitatur 2°, quid praecipue intendat Apostolus, quae sit huius epistolae thesis. (Huius dubii solutio pendet ex totius epistolae nexu, sed ad eam attentionem proderit horum auctorum placita vidisse). Respondeo: quidam non videntur velle unam thesim eligere ad quam caetera revocent, unde Origenes³⁷, cum multa accumularet, ait in his haberi continentiam Epistolae, et alii non praemittunt prologum, ut D. Thomas, Cajetanus, Dionysius. Theophylactus³⁸ etiam solum ait copiosius disseri de gentium vocatione. Alii contendunt potissimum agi de cessatione legis, ita Hieronymus in prae-

³¹ ORIGENES, *Commetariorum in Ep ad Ro Praefatio*. PG 14,836.

³² J. CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom argum.* PG 60,392.

³³ AMBROSIIUS, *In Ep ad Rom Prologus*. PL 17,47.

³⁴ AUGUSTINUS, *Epist ad Rom inchoata expos.* PL35,2090.

³⁵ PRIMASIIUS, *In Ep Pauli Praefatio*. PL 68,414s.

³⁶ ERASMUS ROTERDAMUS, *In Ep ad Rom Argumentum*. Lugduni 1706, t.7, col773.

³⁷ ORIGENES, *ad Rom Praefatio*, PG 14,833.

³⁸ THEOPHYLACTUS, *Argumentum Epist ad Rom*. PG 124,335.

fatione ad Galatas³⁹, Athanasius⁴⁰ in Synopsi, Ambrosii⁴¹ prologus, et Lyra hic. Sed Augustinus ubi supra, et q.2 ad Simplicium hanc thesim proponit de subiiciendis hominibus gratiae Dei, id est, salutem, electionem, redemptionem, etc, non solum absque meritis sed post maxima demerita omnibus per Christum offerri per illius fidem. Sic etiam Prologus Primasii supradictus et prefacio communis ad omnes epistolas sub nomine Hieronymi, Beda, Anselmus, Theodoretus⁴², Magister⁴³, Bruno⁴⁴, Catarinus, Adamus, Soto, et videtur Chrysostomi⁴⁵ qui ait per omnia inculcat divinam electionem. Unde argumentum totius Epistolae ait Catarinus esse de statu naturae, legis et Gratiae, nam undecim capitibus explicatur miseria naturae lapsae, quantum sapientia et legibus fulciatur et gratuita nostrae salutis et iustificationis operatio per Christum. Deinde a capite 12 vitae sanctitas a iustificatis exigitur. (Alii contra idololatriam ut Haymo nisi fallor).

De utilitate huius epistolae et eius dignitate

14. Vix est in Sacra Scriptura aliquid aequae utile si bene intelligatur. Nam quanto ad theologiam hinc maxime pendent omnes controversiae de peccatis, gratia, praedestinatione, poenitentia, fide et operibus. Quanto ad Sacram Scripturam certe videtur Spiritus Sanctus ad suas pandectas intelligendas hanc institutam veluti earum clavem nobis dedisse ad earum scopum et intimam seriem percipiendam. Ad contiones et ad animi profectum in spiritu. Praeterea hic reprimitur radicitus superbia, spes in Christum erigitur, et ad christianam pacem exhortamur. Hinc constat quanta sit huius epistolae dignitas, et constabit magis postea. Sed vide Origenem in *Prologo*⁴⁶, ubi late probat perfectissimo spiritu fuisse ab Apostolo scriptam hanc epistolam supra caeteras omnes.

De ordine huius epistolae inter caeteras

15. Dico 1^o, hanc epistolam ordine temporis scriptam esse post alias multas, ut late probat ex Sacra Scriptura Chrysostomus⁴⁷, Theodoretus⁴⁸, Sotus et alii.

³⁹ HIERONYMUS, *In Ep ad Gal.* PL 30,842.

⁴⁰ ATHANASIUS, *Synopsis Scripturae Sacrae, liber VII.* PG 28,414.

⁴¹ AMBROSIIUS, *In Ep ad Rom Prologus.* PL 17,50.

⁴² THEODORETUS, *Interpr Ep ad Rom, Argumentum.* PG 82,46.

⁴³ PETRUS LOMBARDUS, *In Pauli ep prologus.* PL 191,1301s.

⁴⁴ BRUNO CARTHUS., *Prolog in ep ad Rom.* PL153,14.

⁴⁵ J. CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 1.* PG 60,399.

⁴⁶ ORIGENES, *In Ep ad Rom. Praefatio.* PG 14,834.

⁴⁷ J. CHRYSOSTOMUS, *Argumentum Ep ad Ro.* PG 60,392.

⁴⁸ THEODORETUS, *Interpr in Ep Pauli Praefatio.* PG 82,38.

Dico 2º, valde rationabiliter praepositam fuisse caeteris omnibus, tum quod sit praecipua inter eas, tum propter alia quae adducit optime Caterinus; nam quae alii afferunt sunt minus apta, ut illud propterea praeponi quia superbiam reprimat caput omnium peccatorum, sed non est id huius Epistolae caput. Item illud quod Theodoretus⁴⁹ impugnat, etiam si adducat Sotus ex Hieronymo, deceptus titulo eius prologi qui habetur in multis Bibliis pro epistolis Divi Pauli; cui etiam rationi videtur contradicere Hieronymus⁵⁰ in Origene ubi de perfectione huius epistolae. Ratio Divi Thomae⁵¹ (scilicet ordine naturae priorem esse considerationem Gratiae in se de qua hic, ut deinde in reliquis agatur de eadem gratia per varios respectus ad Sacramenta, ad effectus, et ad Christum) certe subtilis est, nescio an adeo solida.

De modo procedendi sive de stilo huius Epistolae

16. Ad delectandum addit Hieronymus⁵² quod habuit interpretaem Titum (Hedibiam q.11, t.3).

Dico 1º. In Epistola hac, sicut in reliquis quae graece scripta sunt, desiderari graeci sermonis candorem et elegantiam. Probatur quia ipse Paulus saepe fatetur se imperitum esse sermone. Et id notant interpretes. Chrysostomus⁵³ in Prologo ait *Nihil Paulo rudius*. Hieronymus saepe loqui ut cilices, in grammaticae vitia incurrere et solecismis peccare. Sic etiam Augustinus et omnes. Quod si roges unde haec ruditas in homine qui donum linguarum acceperat. Respondeo hoc donum fuisse Apostolis datum ad aedificationem, non ad splendorem, de quo Sotus. Vel fortasse dissimulavit Paulus eloquentiam, de quo Hieronymus⁵⁴, Apologia contra Rufinum c.4, et Erasmus⁵⁵. Atque ita multis in locis etiam quoad vocis energiam significantissime loquitur, quamvis hoc non sit mirum in eo qui praestat intelligendi capacitate quamvis sit rudis eloquio, et utcumque sit non oportuit Apostolum de hac curare eloquentia cuius vis ad summum est aures demulcere et affectatam potius enervat orationem.

17. Dico 2º, in ea ruditatem maximam esse bene dicendi vim, si id spectes quod non hominum impositione et usu commendetur in sermone sed ad movendum, ad persuadendum ex rationis praescripto praecipiant oratores, adeo

⁴⁹ THEODORETUS, *Intepr Ep ad Rom argumentum*. PG 82,46.

⁵⁰ ORIGENES, *In Ep ad Rom Praefatio*. PG 14,833.

⁵¹ THOMAS A.Q., *In p ad Rom l. Ed Vivès t.20, p.385*.

⁵² HIERONYMUS, *Ad Hedibiam*. PL 22,1002.

⁵³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 1*. PG 60,394.

⁵⁴ HIERONYMUS, *Contra Rufinum, l.1*. PL 23,429.

⁵⁵ ERASMUS ROTERODAMUS, *In Ep ad Rom Argumentum*. Lugduni 1706, t.7, col. 777.

ut videatur multis Periclem superare. (Facit quod creditus est Mercurius Act 14,11). Vide 2Cor 10,10, et Matamoros, 2 De metodo concionandi c. 18; Chrysostomum⁵⁶ t.5, l.4 De sacerdotio, ad finem; Augustinus⁵⁷ 4 De doctrina, c.6 et 7. Nec debuit haec eloquentia Paulo deesse, quia sequitur magnitudinem affectus, et maxime valet ad movendum. Perpende quid optandum sit in concionatore ad docendum.

18. Dico 3^o: ad rerum difficultatem (quae ipsarum sublimitati coniuncta est) et ad eam quae ex hebraismis, translationem et illius temporis frasibus oritur, voluit Deus ut in Paulo et in aliis Scripturae libris accederet alia difficultas stili et obscuritas orationis nam proculdubio idem argumentum, eadem rationes et sententiae poterant multo clarius disponi, sed id providit Deus in maius Ecclesiae bonum:

—1^o ad Sacrae Scripturae maiestatem, ne vilesceret et sanctum canibus daretur facile, ex Hieronymo et Augustino. De quo argumento Ledesma *De non vulgandis sacris*.

—2^o, ut nos honestissimo labore exerceret et intellectum a fastidio removeret.

—3^o, ad edomandam labore superbiam, etc.

—4^o, ut maiori cum voluptate divina doctrina fruamur, quia valde placent quae multo sudore paravimus.

—5^o, ut nostram probaret humilitatem in subiiciendo intellectu Ecclesiae explicationi dum occurrunt etiam difficultates.

—6^o, ea ratione permisit varios haereticorum errores ad maius bonum Ecclesiae.

—7^o, ut Sacra Scriptura esset foecundior sensibus, et in eodem etiam sensu plura possent in dies notari, ita ut nullus locus videatur posse exhauriri. Vide Augustinum⁵⁸, 11 De Civitate c.19.

19. *In titulo Epistolae* non est quod philosophemur, maxime cum titulus quem ipse Apostolus praemisit videatur esse ipsa salutatio de qua postea. Sed in nomine etiam Epistolae philosophantur Glossa et Anselmus. Vide si voles.

20. *Unde etiam sit haec epistola scripta* non est adeo curandum. Satis

⁵⁶ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *De sacerdotio*, l.4. PG 48,669s.

⁵⁷ AUGUSTINUS, *De doctrina Christiana*, l.4, c.6s. PL 34,93s.

⁵⁸ AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l.11, c.19. PL 41,332.

est multos late probare scriptam esse Corintho. Et Haymonem: qui id negare videntur vel respuunt vel conciliant.

[f.129]

Ad Romanos caput 1^{um}, Salutationes.

Lectio 1^a

1. Circa salutationem quam praemisit Apostolus usque ad illa verba (*Primum quidem*), **dubitatur** cur adeo sit longa, neque enim plus apponi solet quam *Cicero Lentulo s.* Sic etiam videbatur satis esse “Paulus christianis qui Romae sunt gratiam et pacem” (ut fere fecit in reliquis epistolis). (Nota articulum in eo quod videbatur vitium). Respondeo: hoc indicat maiore affectu Apostolum scripsisse romanae ecclesiae ut supra ex Hieronymo in Origene⁵⁹. Nam eundem sensum si affectuosius dicas, saepe pluribus voles explicare. Respondeo 2^o: hyperbaton in principio de summa Evangelii interpositum ostendit ferventis spiritus abundantiam omnia simul volenti explicare. 3^o, voluit fortasse maiestatem orationi adhibere, quam legens admirabere; id autem opus erat agenti cum romanis. Vide Clarium hic. Et postea verbo *servus, Apostolus*, etc.

2. Dubitatur 2^o quorsum tot epiteta *servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus*, etc. Videtur enim minus modestum. Respondeo

—1^o, imo adiungit ea modestiae causa, nam possunt ad humilitatem pertinere, ut patet in explicatione.

—2^o, dico pleraque pertinere ad Evangelii auctoritatem quandoquidem ministrum illius oportuit vocari et segregari a Deo. Vide Solis, l.1, c.35.

—3^o, fateor adiecta a Paulo ad suae dignitatis auctoritatem, sed id non est immodestum, ut episcopi exhordiuntur suas constitutiones praemissis suis titulis honorificis.

—4^o, forsam illa efficiunt ne nomen Pauli esset ambiguum, id est ut intelligerent quis Paulus ad eos scriberet, id est ille quem audierant totum iam esse Christi, vocatum ad apostolatam, etc. (Nam scribit ad eos qui eum non viderant).

—5^o, forsam contendit Apostolus ut si qui illum minus noverant saltem nossent qua ratione et qua auctoritate ad eos scriberet, imo potius sibi ex officio incumbere. Simul etiam significat quibus de rebus scribat, scilicet de

⁵⁹ ORIGENES, *Comm ad Ro I*. PG 14,835.

iis quae propria sunt eius personae quam sustinebat.

3. *Servus*. Notat Origenes⁶⁰ *servi* nomen accipi pro coniugato, 1Cor 7. Unde si Paulus fuit coniugatus explicat *servus Iesu Christi*, id est aunque casado, nihilominus totus Iesu Christi et ab eo vocatus, etc. Sed de huius rei impugnatione et fundamentis, vide Martinez⁶¹ 1.8, c.1, fine. Praeterea *servi* nomen non sonat hic servilem timorem et abiectam sortem apud Dominum, ut Jn 15,15 *iam non dicam vos servos*.

Sed est —1º, modestiae eius qui in apostolatus apice de se humiliter sentit et ministrare vult potius quam ministrari, ex Origene⁶². (Toma en la casa de Dios el más bajo lugar, y el esclavo de Pedro ha de servir a todos los de casa, a los hijos, etc).

—2º est agnoscentis Christi dominium, cuius sumus natura servi et redemptione servi, quia servus est cui vita servata est, et captus venit in ius victoris, et videtur recreari cum ait *servus Iesu Cristi*, esclavo, pero de Jesús que es mi Salvador, y de Cristo, id est unguido, de un blandísimo y amorosísimo Señor.

—3º est devotionis, amoris et diligentiae si devotionem serviendi significet quasi diceret se totum Christo consecratum, como quien está herrado de pies a cabeza, qui stigmata portat in corpore. De hac servitute Cajetanus⁶³ hic, et Avila in *Audi filia*, et Naclantus. Et haec servitus est libertas a peccatis, ut Chrysostomus ait ad Philipenses 1, quia alioqui non esset germanus servus sed dimidiatus. Huc spectat illud: servus est animata supellex; quidquid est Domini est, etc.

4. —4º, potest servi nomen esse magnae auctoritatis, ut Naclantus hic et Chrysostomus ad Ephesios 4, sermone 9, in exhortatione et ad Philip 1⁶⁴, que decir servus Iesu Christi es más que decir consul, imperator, etc. Nosti quid sonet criado del Rey, quid ergo erit criado del gran Dios. Nosti illud Eliae *si homo Dei sum descendat ignis*, etc. quia esse servum Dei est esse dominum reliquorum omnium, *servire Deo regnare est*, porque habla y manda como instrumento de Dios, *servus est organum domini* Aristoteles 1 Polit., y más que servus Dei es como mayordomo en su casa. Num 2 *servus meus Moses qui in omni domo mea fidelissimus est. Hic iam quaeritur inter dispensatores*

⁶⁰ ORIGENES, *Comment innEpist ad Rom*, PG 14,830.

⁶¹ MARTINUS MARTINI CANTAPETRENSIS, *Hypotyposeon*, 1.8, c.1. Matriti 1771, p.236.

⁶² ORIGENES, *Comment in Ep. Ad Rom*, PG 14,829.

⁶³ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,1*. Opera t.5, Lugduni 1639, p.1.

⁶⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *I ep ad phil c.1, homil 1*. PG 62,181.

ut fidelis quis inveniatur [1Cor 4,2]. Y así criado del rey es más que ministro et ita significamus in eo etiam sensu sine aliorum praepudicio translatum est servus quam minister, contra Calvinum. Vide Caterinum. Quamvis saepe etiam se ministrum appellet, ut 1Cor 4.

5. *Servus Iesu Christi*. Ad Titum 1 *Servus Dei*, ergo Christus est Deus. Chrysostomus⁶⁵ ibi.

[f.129v]

6. *Vocatus Apostolus*. Syriaca legit *servus vocatus, et Apostolus segregatus*, sed omnino melius habet nostra lectio cui semper standum est. Praeterea *vocatus*, grece κλητὸς, ex quo Augustinus meditatur allusionem ad Ecclesiam in cuius nomine vocationis gratia continetur, sed non sunt dissolvendae istae voces *vocatus, Apostolus* (ut novare voluit Valla, ea forsam ratione, quia *vocatus* non potest esse hic idem quod appellatus) ut constat ex graeco. (Hinc Bernardus, *vocatus Abbas* etc). Atque ita illae explicationes quas refert D. Thomas⁶⁶ (scilicet ut modestiae causa dicat quem vocant Apostolum vel qui anthonomastice Apostolus dicor) non sunt aptae; neque ea quae confugit ad eam phrasim in qua vocari est esse, nam κλητὸς non est participium sed nomen, quod si alteri adiungatur efficiunt hunc sensum *vocatus Apostolus*, id est *vocatus in Apotolum*, vel *vocatione Apostolus*, ut omnes fere explicant; et hic sensus videbatur coactus in phrasi latina.

Respondeo non hic de sermonis elegantia disseri, et omnino illum esse sensum patet ex multis similibus locis in Sacra Scriptura et in hoc eodem capite. Praeterquam quod sicut dicitur testis ad praemissa *vocatus* atque rogatus, id est *vocatus* ut esset testis, sic etiam dici potuit *vocatus Apostolus Dei* vocationem intelligendo, ut hic fere intelligunt interpraetes et Gaudentius⁶⁷, tract.2 De lege Evangelii.

7. Caeterum haec divinae vocationis recordatio, —1^{um} continet humilitatem eius qui non gloriatur quasi non gratis acceperit, et eius fortasse qui se nomine Apostoli indignum iudicat (ut ipse alibi ait) nam minus est *vocatus* in Apostolum quam *Apostolus*, sicut minus est electus episcopum quam episcopus, et quasi Paulus esset voce coelesti confirmatus; potest tamen Apostoli nomen non solum supraeam illam potestatem indicare cum qua legati sunt Apostoli a Christo (qui supraemus est Apostolus, ad Hbr 3) *sicut misit Me Pater et Ego mitto vos* (quam auctoritatem ubique tuetur Paulus). Quod Apostoli nomen sit dignitatis probat hic optime Adam. Zegerus notat quod erat nomen principatus

⁶⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Titum, c.1, homil 1*. PG 62664.

⁶⁶ THOMAS A.Q., *In Ep ad Rom, 1*. Ed Vivès t.20, p.382.

⁶⁷ GAUDENTIUS BRIXIENSIS, *De Evangelii lectione 2*. PL 20,906.

apud athenienses cuius officium erat ordine instruere classem. Sed potest etiam debitam pro tanto munere administrationem includere, quam Paulus non vult sibi tribuere, quia muneri satisfaciens, sibi non satisfaciebat (y así no dice Apóstol sino llamado para Apóstol quasi diceret no sé si hincho el nombre).

8. —2°. Haec coelestis vocationis inculcatio videtur continere grati animi memoriam eius qui recreatur in allusione ad illam Christi vocem *Saule, Saule*, etc. (Nosti cur non declinetur hic in graeco, sed Saul, Saul τί Με διώκεις).

—3° continet auctoritatem, cum sit Apostolus, non quod se insinuaverit, neque ab hominibus, neque per hominem, ad Gal 1, *sed vocatus a Deo tanquam Aaron*.

Lectio 2^a

1. **Segregatus.** Graece ἀφωρισμένος. Unde constat non habere locum illam Augustini meditationem qua synagoga innuitur fuisse grex et Ecclesia appelletur convocatio, nam et ipse subdit hoc esse examinandum ex graeco. Sollidior est allusio ad pharisaei nomen (conspirante graeca voce cum hebraea) quasi diceret adhuc sum pharisaeus, non iam legis sed Evangelii. Vide Sotum qui ait pharisaeos fuisse legis interpretes, eran como frailes predicadores.

2. **Segregatus.** Nosti quomodo possent explicare qui Paulum fingebant fuisse coniugatum. Sed amplius quid sonat ἀφωρισμένος, id est secretum atque selectum. Quod vel ad humilitatem vel ad auctoritatem referri potest, ut supra, vel etiam ad obligationem praedicandi et commonendi.

Explicatur autem tripliciter: —1°, ut segregatio sit illa inter discipulos selectio et in apostolum consecratio, de qua Act 13 [2], sive haec sit repetitio sive maior explicatio suae vocationis.

—2°, ut sit separatio a Synagoga et mirabilis illa ad Christum conversio, quo modo D. Thomas⁶⁸ accipit illud *qui me segregavit ex utero matris meae*, id est Synagogae, ad Gal 1.

—3°, ut sit aeterna Dei electio qua decrevit Paulum in tam sublimi collocari loco quomodo magis accipiendum videtur illud *ex utero matris meae*. (ἀφωρισμένος incluye ώρισμένος, de quo infra y así parece que leyó S. Ireneo⁶⁹ qui legit *praedestinatus in Evangelium Dei*, l.3, c.18. Vide ibi Feuar-

⁶⁸ THOMAS A.Q., *In Ep ad Rom 1*. Ed Vivès t.20, p.382.

⁶⁹ IRENAEUS, *Contra haereses*, l.3, c.16. PG 7,922.

dentium). Vide Chrysostomum⁷⁰ in id ad Titum 1 *ante tempora secularia*, et Origenem⁷¹ hic et Sotum. Quamvis similes locos aliter explicet Jansenius in id Eccli 1 [16] *cum fidelibus in vulva concreatus est*. Et posset etiam sic exponi “parece que desde que nació fue Dios encaminando todos mis sucesos para hacerme Apóstol y tal que lo soy”, quod etiam posset extendi ad ingenium et zelatricem mentem et ad permissionem eorum quae commisit Paulus.

3. Hic Sotus, Sixtus⁷² et alii tribuunt Origeni⁷³ errorem Pelagii eo quod dicat Paulum suae electionis causam dedisse Deo; sed non animadverterunt id cedere in offensionem Hieronymi, neque atente legerunt. Dico ergo eum auctorem, (sive sit Hieronymus sive Origenes⁷⁴) per *electionem* intelligere praedestinationem ad gloriam, id est ad ultimum effectum; quod autem haec electio sit ex sanctorum meritis non solum non est pelagianum sed potius in quodam sensu est de fide, et in altero saltem probabile cum hodie a multis catholicis defendatur ex communiore Patrum sententia et inter eos Hieronymi.

Sed dices: etiam ad vocationem ait praecedere praevidentiam. Respondeo legenti patet nihil aliud velle nisi eos quos Deus vocat ad hoc vel illud ministerium vocari secundum quod videt aptos esse caeteris profuturos nisi decidant a sua vocatione (ut ipse subdit) quos vero non [f.130] solum vocat sed etiam ab aeterno elegit ad gloriam, electos esse ex meritorum praescientia quae sunt Deo presentia.

Sed dices quorsum haec cum sermo sit de electione ad Evangelii predicationem. —Respondeo, si solum agit de hac electione, non est ergo pelagianus, quid enim periculi est si dicas Petrum eligi episcopum quia Deus novit Petrum esse eum qui electum strenue sit laboraturum?

—Dico 2^o manifeste ipse auctor transfert sermonem ad electionem ad gloriam.

—Dico 3^o etiam in Apostolis, Prophetis, etc, distingui vocatos ab electis, et Judam ait vocatum fuisse Apostolum sed non electum quia decidit a sua vocatione. Vult enim ut electio Apostoli intelligatur cum definitione gloriosae retributionis, et propterea Paulus cum dixisset vocatus Apostolus adiecisse segregatus vel selectus ut ostenderet qualis Apostolus esset, agra-

⁷⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Titum c.1, hom 1*. PG 62,666.

⁷¹ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*, PG 14,843.

⁷² SIXTUS SENESIS, *Bibliotheca Sanctae, l.6, Annot.CCXXX*. Venetiis 1566, p.830.

⁷³ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*, PG 14,845.

⁷⁴ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*, PG 14,846.

decidiéndolo todo a la gracia de Dios. Haec Origenes⁷⁵.

Crediderim tamen Apostolum nihil hic voluisse significare neque de suis meritis neque de sui praedestinatione, quam explicationem non sequor, sed assertionem dico non esse damnandam.

4. *In Evangelium.* Id est, ut evangelizarem (ut patet Act 13 et ad Gal 1), id est ut felicissimum illud nuntium hominibus publicarem (parece que quería decir escogido para gozar de la gracia del Evangelio, non tamen id vult). Addit Sotus in hac electione ad evangelium explicari quid sit Apostolatus, atque adeo contineri non solum praedicationis officium sed etiam ecclesiasticam administrationem et miraculorum confirmationem. Sed quamvis Paulo nemo haec neget, non video tamen quomodo in vi vocabuli per se includantur, maxime cum ipse 1Cor 1 dicat *non misit me Dominus baptizare sed evangelizare*; unde potius significat se potissimum destinatum fuisse ad praedicationis munus. Et perpende officii excellentiam pues el que por antonomasia se llama apóstol toma por su principal empresa y oficio la predicación.

5. Praeterea nota cur christiana doctrina, id est id quod de Christi adventu et bonis quae nobis attulit docet fides cur id vocet antonomastice Evangelium, id est felix nuntium. (Vide Claudium in Mathaei prologo, Villavicentio, de concionibus l.1, c.12, Solis l.1, c.35) quamvis hoc loco non opus sit accipere antonomastice quia simpliciter acceptum satis restringitur per ea quae sequuntur.

6. *Dei.* —Hunc genitivum videtur accipere de Christo Cyrillus⁷⁶ in Thesauro l.12, c.1, et ad reginam, in principio. Sed ex sequentibus omnino cogitur per Deum hic intelligi Patrem; et est unus ex locis in quibus cum evidenter de summo Deo agatur, sine articulo tamen ponitur, quod sancti contra haereticos observant. Vide Chrysostomum Joan 1, homil.3.

7. —Praeterea Solis supra, et Origenes⁷⁷ hic, observant cur alibi Evangelium appelletur *Christi* vel *gratiae* vel *gloriae*, etc. Sed dices cur hic appelletur *Evangelium Dei Patris*? Respondeo *Evangelium Dei* appellat faciens auctorem praedicationis Deum ne huic felici nuntio existimetur posse falsitas subesse. Sic Anselmus, D. Thomas⁷⁸, etc et hoc etiam pondus et magnitudinem rei declarat. Vel dicitur *Evangelium Dei* sicut dicitur in Sacra Scriptura

⁷⁵ ORIGENES, *Comment in Epist ad Rom*, PG, 14,840.

⁷⁶ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Thesaurus de Sancta et consubstantiali Trinitate, assertio* 32. PG 75,454.

⁷⁷ ORIGENES, *Comment in epist ad Rom*. PG 14,846.

⁷⁸ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom 1*. Ed Vivès, t.20, p.382.

mons Dei, Oratio Dei, quod est epithetum unamquamque rem suo modo illustrans innuendo esse quid caeleste et divinum vel in quo Dei virtus collucere videatur, unde *Evangelium Dei* erit quod postea exponit *virtus enim Dei est*.

—Tertio, ex Grandi, quasi diceret Evangelium quod evangelizatum est a me non est secundum hominem sed per revelationem Dei, ad Gal 1. Ubi Hieronymus “Marcion et Basilides non habent Dei Evangelium, quia non habent Deum sine quo fit humanum evangelium. Ut etiam quod appellatur evangelium nazareorum” etc. —Quarto, forsam etiam significat se non tradere Evangelium sicut tradiderunt illi qui ab initio viderunt, ut D. Lucas ait de se. Non solum inquam divinam assistentiam habuisse sed immediatam revelationem a Deo, *neque enim ab homine accepit illud*, ad Gal 1. Ait ergo *segregatus in Evangelium Dei* id est in Evangelium quod mihi Deus revelavit.

8. Diximus cur dicatur *Dei*. Sed cur *Dei Patris*? Respondeo: quia Evangelium nihil aliud est nisi missio Filii Dei et haec ut norunt theologi pertinet ad Patrem, ad Gal 4 [4] *misit Deus Filium suum* etc. Quod si Pater misit, Pater etiam promisit, unde ipse explicat quid sit Evangelium Patris, cum ait *quod ante promiserat*. Vel Deum Patrem bonorum omnium fontem agnoscit Auctorem eorum bonorum quae praedicat Evangelium. Aliter explicat Chrysostomus⁷⁹: *Dei*, id est de Deo, sed non placet quia potius de Christo quam de Deo Patre: atque ita sequitur postea *de Filio suo*.

Lectio 3^a

1, *Quod ante promiserat per prophetas suos*. Notat Chrysostomus⁸⁰ et multi hoc dici contra novitatem quam in Evangelio posset quis arguere obiiciendo quod novam adduceret religionem atque adeo suspectam. Quasi diceret no vino de improvviso sino conforme a lo prometido. Hoc diluit Paulus ex promissionis antiquitate et retorquet mirifice telum quasi diceret: si contra Evangelium obiicias [f.130v] mihi legis antiquitatem perinde est ac si contra partus veritatem, et ut minus credatur tanquam res nova, obiiceretur iam mulis mensibus gravidam esse mulierem. Quid enim aliud sunt lex et prophetae nisi graviditas quaedam Evangelii, una preñez? etc. Quae potius esset prodigiosa nisi id tandem *quando venit plenitudo temporis* in lucem ederetur. Facit quod Tertulianus⁸¹, 4 Contra Martionem comparat Legem semini, Evangelium fructui. Vide etiam Solis, l.1, c.52. (ad Rom 1,2 *quod ante*

⁷⁹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 1*. PG 60, 396.

⁸⁰ J. CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 1*. PG 60,396.

⁸¹ TERTULIANUS, *Adversus Marcionem*, l.4, c.39. PL 2,489.

promisserat etc in Scripturis de Filio suo).

2. Praeterea non solum id valet ad veritatis confirmationem sed etiam ad summam Evangelii auctoritatem, cum nulla alia religio vel fingere potuerit praevias profetias. De quo late Solis.

3. Praeterea graece est allusio inter promissionem et Evangelium ac si diceres misit tandem quod promiserat vel potius annunciamus quod praeannunciaverat. εὐαγγέλιον ὁ προεπηγγείλατο. Eadem delectatur Petrus, Act 13,32 εὐαγγελιζόμεθα επαγγελίαν.

4. Praeterea locus est contra manichaeos, hinc enim evidentiter probant Sancti eundem esse Deum Legis et Evangelii. Facit etiam contra eos qui ausi sunt asserere nihil contineri in Sacra Scriptura de Christo et Evangelio litteraliter.

5. Sed cum Evangelium dicitur fuisse promissum, dubitatur an intelligat de re quam praedicat vel de ipsa praedicatione, et de utrovis an dicat fuisse promissum sub nomine Evangelii (ut videtur velle Chrysostomus⁸²) vel sub quovis tenore. Respondeo non desunt testimonia sub nomine Evangelii, ut Is 61 *ad annuntiandum* et c.52[7] *pulchri pedes evangelizantis*. Et qui evangelizantes promittit, materiam etiam promittit Evangelii, iuxta Ps 67[12] *Dominus dabit verbum evangelizantibus*; non tamen est his angustiis includendum Apostoli dictum sed late accipiendum de omnibus prophetiis de Christo et eius beneficiis.

6. **Dubitatur** 2^o, quos appellat cum ait *per prophetas suos*? Respondeo: los que constaba haber sido profetas de Dios, quod maxime facit ad fidem et auctoritatem Evangelii. Vide Solis l.1, c.35. Praeterea dum nullus designatur Propheta, omnes includuntur canonici scriptores qui generali nomine prophetae vocantur, atque ita subdit *in Scripturis Sanctis* sine distinctione, et sic etiam Petrus Act 3 fine[24] et Act 10 fine [43] ad eandem rem citat *Moisem et omnes Prophetas*, et sic accipit Cyrillus⁸³ ad reginas, in principio. Imo omnes Legis ceremoniae et Veteris Testamenti figurae sunt quaedam de Christo prophetia, ex Chrysostomo⁸⁴ in id *in Scripturis Sanctis*. Finis enim Legis Christus, postea c.10.

7. Quomodo probetur veritas fidei ex Prophetarum oraculis et longa expectatione, Medina⁸⁵ 3p, q.1, a.5.

⁸² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom, c.1, hom 1*. PG 60,396.

⁸³ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *De recta fide ad reginas*. PG 76,1203.

⁸⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom, c. homil 1*. PG 60,397.

⁸⁵ BARTHOLOMAEUS MEDINA, O.P., *Expositio in 3 p D.Thomae, q.1, a.5*. Venetiis 1590, p.27.

8. *In Scripturis Sanctis*. Quia admodum antiqua solent videri fabulosa, ut constet testimonia Prophetarum esse integra et incorrupta, scripturas eorum ait esse sanctas. Perpende vim vocabuli et nota ex Villavicentio sanctum pro inviolato, impolluto et religioso crebro poni. Notat autem Sotus bene qua religione iudaei conservarent sacros libros supra caeteras omnes nationes. Adde etiam divinam providentiam in illis conservandis, cui potius nititur eorum integritas.

9. Scripturarum etiam mentio eo spectat ut Evangelii promissionem dicat factam a Deo, et id fidelissimis adhibitis testibus, neque solum verbo sed publicis et tabulis et instrumentis. Es una obligación que hizo Dios con los mejores testigos y escribanos y las más firmes escrituras del mundo, para nuestro consuelo.

10. *De Filio suo*. Non satis constat an hoc in constructione referatur ad Evangelium (interposita parentesi, ut plerisque aptius videtur) vel ad illa verba *quod ante promiserat*, vel ad *scripturas sanctas*, quia in distinctione comatum et punctorum variant codices et interpretaetes. Utcumque tamen sit sensus est idem, et in re ad omnia illa tria refertur. Quia si dicas Evangelium de Christo fuisse promissum in Sacra Scriptura, manifeste dicis Evangelium esse de Christo, promissionem de Christo et Sacram Scripturam de Christo. Sed non coniungimus in constructione cum Scripturis quod erat proximum, ne videatur restrictio, quasi diceret id non contineri in omnibus Scripturis sed in iis quae de Filio Dei loquuntur, quod esset praeter rem neque adeo solidum.

11. Deinde *per Filium* intelligendum esse Filium naturalem, contra haereticos vel ipse articulus gracus (et syriacus) probat. Vide Jansenium⁸⁶ in id *Tu es Christus, Filius Dei vivi*. Graece *el Cristo, el Hijo de el Dios, el vivo*. Modus etiam loquendi probat unicum esse Filium.

12. *Qui factus est, qui praedestinatus est*. Non solum intelligas Dei Filium factum Hominem, praedestinatum etc, sed utrumque etiam poni sub illa promissione. Patet ex graeco quia ponitur in eodem casu, scilicet, a Deo fuisse promissum Evangelium de Filio suo incarnato et praedestinato.

Lectio 4^a

1. *Qui factus est*. Valla mallet legi *natus* vel *genitus*. Erasmus⁸⁷ ait se id nec probare nec improbare tamen re ipsa probat. Ratio eius ad Titelmanum

⁸⁶ JANSENIUS, *In suam Concordiam*, c.66. Lugduni 1580, p.688.

⁸⁷ ERASMUS ROTERODAMUS, *ad Rom 1,4*. Opera omnia, Lugduni 1705, col.554.

est quia idem verbum, ex Platone, epistola 9, cum verteret [f.131] Cicero in Officiis dixit “nemo nostrum sibi solum natus est” et propterea existimat verti posse *genitus* cum alioqui durum videatur ut ille qui potest dici *natus* dicatur *factus*. Accedit quod Augustinus⁸⁸, 11 Contra Faustum c.4 (et refert Beda) latino interpretaeti tribuit quod hic verterit *natus*, et ita ait haberi in quibusdam exemplaribus. Praeterea sic etiam habet Syriaca.

Dico 1° non posse dubitari quin magis conveniat cum graeca nostra lectio quia verbum graecum quod hic ponitur ubique fere sonat vel *esse* vel *feri*, et rarissime invenietur positum pro *nasci*. Et forsan in illo Platonis loco sensum respexit Cicero potius quam verba, nam idem est sive dicas non solum mihi fecit me Deus sive non mihi solum natus sum. Hinc est quod ibidem Augustinus ait iuxta graecum legendum esse non natus sed factus, et sic legit Hieronymus in Origine, et multi ex Patribus quos citat Grandis, et denique omnes hic et Ecclesia in Symbolo, et ipse Erasmus⁸⁹ in aliis locis ut Jn 1 *Verbum caro factum est*, et millies. (Patet ex Thesauro, neque potest negare Erasmus. (Soteallus verbo *Christus* adducit Papam Soterum ut *Christus* dicatur *factus*).

2. Dico 2° non vacare mysterio quod qui alibi dicitur *natus* dicatur etiam *factus homo*. Rationem ex Augustino reddunt Magister⁹⁰, D. Thomas⁹¹, Sotus et Naclantus ad Eph 1, quia *feri* refertur ad artem, est enim ars recta ratio eorum quae fiunt, atque ita domus dicitur fieri, non nasci ut arbor, quia *nasci* refertur ad naturam, cuius ordo in Christo aliquatenus servatus est, scilicet in conceptione ex foemina et ortu post novem menses, propter quae dicitur *natus*; sed quia in multis aliis opus fuit opificio Spiritus Sancti supra naturae leges ideo etiam convenientissime dicitur *factus* homo. Idem significat Chrysostomus⁹² dum ait ex ipsis verbis declaratum esse generationis modum supra leges naturae.

3. *Ei*. Erasmus⁹³ fatetur quidem optime dici et ex more Sacrae Scripturae, *natus est Abrahae filius*, sed hic ait additum fuisse illud *ei*, quia non est in graecis, et officere sensui quia non id agit Paulus ut appareat *cui* sit natus Christus, sed *quis* sit. Postea ad Titelmanum ait se non repraehendere interpretaetem, quia addidit ut excluderet absurditatem sermonis. (Cajetanus⁹⁴ tollit, ut solet). Aliqui ne fateantur esse additum divinant fortasse fuisse in

⁸⁸ AUGUSTINUS, *Contra Faustum manichaeum*, l.11, c.4. PL 42,248.

⁸⁹ ERASMUS ROTERODAMUS, *Ev. Jn 1,16*. Opera omnia, t.6, col.340.

⁹⁰ PETRUS LOMBARDUS, *In ep ad Rom, 1*. PL 191,1305s.

⁹¹ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom 1*. Ed Vivès t.20, p.384.

⁹² J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1*. PG 60,397

⁹³ ERASMUS ROTERODAMUS, *ad Rom 1,4*. Lugduni 1705, t.6, col.554.

⁹⁴ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom, 1,3*. Opera, t.5, 1639, p.2.

vetustis graecis libris (quamvis hodie non habeatur in eis neque in Syriaca) et interpretantur Christum esse natum ad Dei gloriam.

—Dico 1° non constat an το *ei* legendum sit iuxta Vulgatam, quia Lovanienses notant in quibusdam mss antiquis non haberi, nec habetur in editione Juntae anni 1534, nec legit Hieronymus in Origene⁹⁵. —Dico 2°, non credendum est interpretaem addidisse ad vitandam absurditatem, tum quia nulla erat, tum quia si qua fingatur, non ea ratione tollitur. —Dico 3°, si addatur, non video quomodo officiat sensui, quia ex usu sermonis id solemus addere quamvis nihil amplius significare velimus, ut si dicas Carolum reliquisse Philipum filium natu grandem quia natus est ei dum ipse imperator esset juvenis. —Dico 4°, si legatur (ut legit Ambrosius⁹⁶, et post illum fere omnes) non solum non officere sed etiam facere ad illud quod supra adduximus ex Chrysostomo, scilicet ex ipsis verbis declarari generationis modum supra naturae leges, nam illud *ei* indicat Christum non habuisse alium Patrem, solet enim in nativitate addi patris nomen in dativo, ut natus est Abrahae, etc, et tamen in temporali Christi nativitate non dicitur natus est Josepho, sed Deo Patri. Consonat Ambrosius.

4. *Ex semine David.* *Semen* (quod hic figurate ponitur) potest vel certam personam a Davide descendentem designare, id est Beatam Virgenem, vel descendentium lineam, quam posteritatem appellamus. Utrovis modo accipias idem est sensus. Sed occurrit hic Origenes⁹⁷ connivente Hieronymo, et existimat non constare an Beata Virgo vere ducat origenem a David per lineam rectam, atque adeo Christum dici ex semine David eo modo quo appellatur filius Joseph, et huius loquutionis requirendam esse allegoricam rationem. Verum huius dubitationis nebulas iam dispulit egregie Canisius⁹⁸ in manuali, l.1, c.3 contra Erasmus et Osiandrum etc. Vide etiam Martinez⁹⁹, l.3, c.4 ad finem. Vigilium¹⁰⁰ contra Eutichem, l.3 in principio. Irenaeum¹⁰¹, l.3, c.32.

5. Sed cum origo Christi adiecta sit tanquam conditio veri Messiae et commendatio fidei quam Deus servat in promissis, Dubitatur cur non dixerit ex semine Abrahae cui primo fides data est. Multa hic Sotus, sed simplicius est in hoc loquutionis genere in Davide comprehendi Abraham et non e contra. Vide postea.

⁹⁵ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom.* PG 14,848.

⁹⁶ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom* 1,3. PL 17,51.

⁹⁷ ORIGENE, *Comment in Ep ad Rom.* PG 14,851.

⁹⁸ S.PETRUS CANISIUS, *De MariaVirgine libri quinque, l.1, c.3.* Ingolstad 1577, p.18s.

⁹⁹ MARTINUS MARTINI CANTAPETRENSIS, *Hypotyposeon* l.3, c.4. Matriti 1771, p.108.

¹⁰⁰ VIGILIUS PAPA, *Ep. ad Eutyrium.* PL 69,73s.

¹⁰¹ IRENAEUS, *Contra haereses, l.3, c.22.* PG 7,956.

6. *Secundum carnem*. Per *carnem* hic fere omnes intelligunt naturam humanam, quasi diceret Christum esse filium David in eo quod homo, ex qua loquutione manifeste ponitur duplex natura in uno supposito quod in altera est Filius Dei et in altera Filius David. Vide Augustinum, sermone 15 de tempore. Tribuitur autem carnis appellatio naturae humanae in Incarnatione Verbi propter plurimas rationes quas egregie collegit ex Patribus Jansenius¹⁰² in id Jn 1 *Verbum Caro factum est*. Vide etiam Sotum hic. Hieronymus tamen in Origene *carnem* accipit ut sonat, ut obiter significetur animam non esse ex traductione. Acute quidem [f.131v] sed quia qui carnem accepit ex Virgine, accepit eam informatam anima rationali (ut erat necessarium), ideo adhuc optime colligitur ex hoc loco naturae divinae et humanae in eadem Persona coniunctio. Valet ergo expresse locus contra Cerdonem et Manichaeum qui veram carnem Christo negabant (de quo Castro¹⁰³ et Medina¹⁰⁴ 3p introd. q.3), unde Augustinus¹⁰⁵, 11 contra Faustum, lepide eum irridet respondentem locum hunc esse corruptum. Praeterea nihil favet locus Arrio, Appollinari, etc, qui carne concessa divinitatem fingebant suplere vices animae, sed potius eos redarguit, quia neque esset univoce caro neque posset Christus vere dici ex progenie David ut hic dicitur. Vide Castro¹⁰⁶, etc.

7. Sed dubitatur quid potissimum spectet Paulus in carnali Christi origine. (Nam supra dicta ad singula verba pertinent plus quam ad orationis scopum). Ad rem ergo quidam volunt haec referri ad Christi mortalitatem et nostrarum miseriarum communionem quas nomen carnis comprahendere solet (iuxta illud *In diebus carnis suae*, ad Hebraeos, et fortasse illud *iam non novimus Christum secundum carnem* 2Cor 5,16) ea ratione dicunt ordine congruo primum de Christi exinanitione et statim de illius exaltatione tractari opponendo singula singulis, scilicet Filium Dei Filio David, Spiritum carni, statum statui, etc. In hac sententia sunt Tertulianus contra Praxeam, Naclantus, Erasmus¹⁰⁷ et alii. In eadem videtur Augustinus¹⁰⁸ in Inchoata. (Melius esset comprahendere utrumque sensum explicando praeter eam nativitatem in qua ortus est mortalis et humilis, etc, habuisse origenem ex David taliter que fue su ordero prometido etc). Sed contra est quod caput huius loci sit Christum esse ex origine David (caetera enim sunt adiuncta, scilicet esse fac-

¹⁰² JANSENIUS, *In suam Concordiam*, c.1. Lugduni 1580, p.14s.

¹⁰³ ALFONSUS DE CASTRO, *Adversus haereses*, Caro et Corpus humanum. Antverpiae 1565, f.106v.

¹⁰⁴ BARTHOLOMAEUS MEDIN O.P., *Introd. in 3p D.Thomae*, q.3. Venetiis 1590, p.26.

¹⁰⁵ AUGUSTINUS, *Contra Faustum Manichaeum*, l.11, c.4. PL 42,248.

¹⁰⁶ ALFONSUS A CASTRO ZAMORENSIS, *Adversus omnes haerese LXIV*. Antverpiae 1565, f.113s.

¹⁰⁷ ERASMUS ROTERDAMUS, *ad Rom 1,4*. Opera omnia, t.6.Lugduni 1705, col.556.

¹⁰⁸ AUGUSTINUS, *Epist ad Rom inchoata expos.* PL 35,2090.

tum potius quam natum, et id secundum carnem, ne tunc incepisse videatur) atqui non erat peculiaris illi prosapiae ea mortalitas et passibilitas. Praeterea huius originis mentio videtur esse in Sacra Scriptura honorifica non solum ipsis progenitoribus iuxta illud quod ait postea *quorum Patres et ex quibus Christus secundum carnem* (ubi tamen nomen carnis in eadem phrasi non refertur ad miserias) sed etiam videtur esse honorifica Christo.

Sed dices esse ex illa familia erat multis commune, ergo non debet referri ad honorem. Respondeo aliquid amplius in his verbis latere, scilicet Christum esse illud semen Abrahae in quo promissa erat benedictio, Gn 22 et 26, illud semen Davidis cui Deus promiserat tronum regni sempiternum, 2Reg 7, aquel hijo de David para quien estaba librado el cumplimiento de las promesas. Facit articulus graecus τοῦ γενομένου, et pro hoc sensu affert Grandis Basilium 2 Contra Eunomium.

8. Verum quia dum Christus dicitur ex origine David regalis etiam progenies notatur, quaeritur cur Deus voluerit Christum ex regibus descendere, et id toties repeti quod christiani docemur despiciere et notamus in paupere glorioso. Respondeo non quod saecularem progenitorum nobilitatem curet qui fabri filius appellari voluit, sed quia vitae sanctitas in maioribus, cuius Deus rationem habet, et scelera etiam quae ad stuporem usque in illis permisit admirabili providentia; cum utrumque Deus vellet a nobis animadverti, eam progeniem elegit in qua dignitatis splendor utrumque manifestaret, non quidem omnium potentissimam ne id curare videretur, sed eatenus illustrem ut virtutes et vitia quae in aliis abscondit ignota sors, in illis essent admodum conspecta. Praeterea notandum est cur voluerit illum maiorum splendorem invenire tot iam annos extinctum, nempe ut ostenderet regnum illud umbram fuisse, et ad figuras illustrandas adhibitam fuisse nobilitatis lucem, quam oportuit extingui ut evidenter ostenderetur non esse illud regnum aeternum quod erat promissum. Cum ergo Paulus ait Christum esse ex semine David, significat Christum esse in quo tanquam in Davidis haerede impletur illa promissio, quasi diceret cum angelo *dedit ei Dominus sedem David patris eius, et regnum in domo Jacob in aeternum*.

9. Grandis disputat hic an iure haereditario Christus creverit regnum propter Joseph Matris sponsum ut videtur docere Hieronymus, vel per beatam Virginem ut docet Irenaeus¹⁰⁹. Quia Jeremiae 22 videtur Deus iure regni abdicare Jeconiam, et consequenter Josephum ab illo descendentem. Hoc tamen est velle persistere in illa regni figura de qua non admodum curo, nam hic sublimius Christi regnum videtur significari.

¹⁰⁹ IRENAEUS, *Contra haereses*, l.3, c.21. PG 7,952.

Lectio 5^a

1. *Praedestinatus est* etc. Observat Chrysostomus¹¹⁰ locum esse difficilem et experitur qui legerit interpretes mirum in modum se torquentes et varie admodum explicantes.

Praedestinatus, graece τοῦ ὁρισθέντος, a verbo ὁρίσκειν, id est definire unde simplicissima versio erat *qui definitus est* (ut habet editio Juntae a.1534). Sed poterat haec definitio tripliciter accipi in praesentiarum: —1^o, ut sit idem quod praefinitio, nam definire solet esse idem quod praefinire, decernere, statuere, scilicet destinare (quod idem est) et in hoc sensu accepit noster interpretes, qui transtulit *praeedestinatus*. —2^o, *definitio* potest esse certa pronuntiatio vel declaratio vel promulgatio per Deum in tempore facta per ipsius Christi virtutem et resurrectionem, et in hoc sensu definitum pro declarato et manifestato accipiunt Chrysostomus¹¹¹, Theophylactus¹¹², Theodoretus¹¹³, Contarenus, Claudius, Ganeius, Robertus, Palacius 3, d.7, q.2 et Oecumenius¹¹⁴. —3^o, definitio potest esse ipsorum etiam hominum certa pronuntiatio, cognitio et promulgatio, quae divinam declarationem consequitur atque id etiam Chrysostomus¹¹⁵ significat qui ὁρισθέντος explicat omnium suffragio iudicati, et nonnulli qui pro [f.132] definito legunt vel interpretantur *agnitum*, ut habet Syriaca.

2. Dubitatur ergo quae istarum interpretaationum sit magis ad rem 1^a vel 2^a, (nam 3^a ad 2^{am} revocatur). Contra 1^{am}, id est contra lectionem nostram, obiicit nobis Erasmus¹¹⁶ graecorum auctoritatem, et annumerat Origenem, et ad Tiltelmanum ait Augustinum si graecos consulisset aliter loquuturum fuisse, et quod in hoc loco aliquid passus est humanum. Praeterea Medina¹¹⁷ 3p, q.24, a.1, Chrysostomi acceptionem tribuit Tertuliano, Cyrillo, Eusebio, Euthimio et junioribus Cajetano¹¹⁸, Pagnino etc. Alii adiungunt Basilium et omnes graecos. Deinde rationibus urget Erasmus¹¹⁹ quia legendo *declaratus* nulla occurrit salebra, et adamussim quadrat sententia; quomodo vero Jesus fuerit in Filium Dei destinatus tum in se est difficile (et de veritate propositionis in rigore controvertunt scholastici) tum etiam durissime cohaeret cum sequentibus *secundum*

¹¹⁰ J. CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 1*. PG 60,397

¹¹¹ J. CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 1*. PG 60,398.

¹¹² THEOPHYLACTUS, *Expos in Ep ad Rom, 1*. PG 124,342.

¹¹³ THEODORETUS, *Interpr Ep ad Rom 1,4*. PG 82,51.

¹¹⁴ OECUMENIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,4*. PG 118,326.

¹¹⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom, c.1, homil. 1*. PG 60,397.

¹¹⁶ ERASMUS ROTERDAMUS, *ad Rom 1,5*. Opera omnia, t.6. Lugduni 1705, col.554.

¹¹⁷ BARTHOLOMAEUS MEDINA O.P., *In 3p D. Thomae, q.24, a.1*. Venetiis 1590, p.305.

¹¹⁸ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,1*. Opera t.5, Lugduni 1639, p.1.

¹¹⁹ ERASMUS ROTERDAMUS, *Opera omnia*, t.6, col.555.

spiritum ex resurrectione: atque ita tandem fere omnes latini quamvis diversis modis coguntur fateri ea pertinere ad declarationem subintelligentes aliquid ut postea videbimus. Praestabat ergo a principio consentire cum graecis explicando ὁρισθέντα, id est declaratum. (Melior ordo esset disputare primum cum Hieronymo et Origene, et postea seorsum cum Erasmo et graecis).

3. Alia nobis quaestio est cum Origene¹²⁰ hic et cum Hieronymo¹²¹ ad Ephesios 1, qui observant temere addi illud *prae*, cum non habeatur in graecis, et legunt quidem Christum destinatum, sed observant impie dici *prae-destinatum* quia Filius Dei potest destinari, non vero praedestinari. Ubi D. Thomas¹²² existimavit quod destinare est mittere sicut alicubi apud Senecam in Thesauro, tamen ex graeco patet Origenem et Hieronymum pro eodem acceperunt destinare et constituere vel decernere, sed acceperunt praedestinationem cum duplici respectu ad futurum, scilicet ut praeter respectum ad effectum futurum quem destinatio includit ex vi propositionis connotet praedestinatio personam quae illi rei destinatur nondum esse (fatetur enim Origenes Christum qua Homo est dici praedestinatum): ita ut filium natum dicatur quis theologiae destinare; praedestinatio vero si antequam habeat filios statuat primum qui nascetur litteris dedicare et fortasse propter hanc rationem communiter in novo testamento dicitur Christus ὁρισμενος, id est destinatus, et caeteri προωρισμενοι, id est predestinati, ut patet supra. Quare si nostrae lectionis emendatio debetur Hieronymo cur non emendabimus locum ut ipse praecipit?

4. Contra Erasmus dico 1^o: quamvis utrumque sensum patientur graeca, multo tamen probabiliorem esse eum quem sequitur nostra lectio, quamvis Vulgata esset indifferens; post cuius determinationem videtur esse temerarium nostram condemnare lectionem, neque tamen propterea expositionem Chrisostomi ego condemno. Dico 2^o (ad Hieronymum et Origenem) non esse admodum curandum de illo discrimine inter ὁρίζειν γὰρ προορίζειν, sive inter destinare et praedestinare, neque oportet ut illud *prae* dicat alium respectum futuri nisi in effectu ad quem persona destinatur. Coniunxi haec duo dicta ut simul utrumque probem. Et quidem Adam, Medina¹²³ et alii contendunt utrumque probare ex Dionysio, de divinis nominibus c.5 ad finem, ubi ait praedeterminationes Dei effectrices rerum vocari in theologia προορισμοι, id est praefinitiones vel praedestinationes. Sed iste locus non admodum efficit, tum quia videtur loqui de ideis divinis, tum etiam quia ex illo solum ha-

¹²⁰ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom.* PG 14,849.

¹²¹ HIERONYMUS, *Comment in ep ad Ephes.* 1,5. PL 26,473.

¹²² THOMAS A.Q., *In Ep ad Rom 1.* Ed Vivès t.20, p.386s.

¹²³ BARTHOLOMAEUS MEDINA O.P., *In 3p D.Thomae, q.24, a.1.* Venetiis 1590, p.304.

bemus quod προορίζειν ex usu Apostolorum habet proprium locum quando significatur Deus aliquid ab aeterno decrevisse non tamen loquitur de simplici ὀρίζειν, neque negat posse accipi eo modo quo Chrysostomus accepit.

5. Sed optima probatio erit ex usu Sacrae Scripturae. Probatur ergo 1^o, quia nullus est locus in Novo Testamento in quo ὀρίζειν non dicat constitutionem vel decretum; ut ad Hebraeos 4,7 *iterum terminat diem quandam* et Act 17,26 *definiens statuta tempora* et Act 11,29 *proposuerunt singuli*, et Act 2,23 *hunc definito consilio et praescientia Dei traditum*. Et confirmatur aliis duobus locis qui de Christo agunt et videntur esse affines huic: alter est Divi Petri, Act 10,42 *Praecipit nobis praedicare quia ipse est constitutus a Deo iudex cui prophetae testimonium perhibent*; alter est D. Pauli Act 17,31 *iudicaturus est orbem in viro in quo statuit fidem praebens omnibus suscitans eum a mortuis*, graece ἐν ἀνδρὶ ὃ ὤρτισεν, id est *in viro quem constituit* vel elegit. Ecce Petrus et Paulus explicant eodem verbo Christum fuisse constitutum a Deo iudicem, sicut promissum erat per prophetas, et huius supremae auctoritatis fidem factam esse in illius Resurrectione: quae etiam tangi videntur in nostro textu, et sic ab omnibus concorditer explicantur, et ab ipso etiam Erasmo. (Non invenio alibi ὀρίζειν, et adeo verum est ut ἀφωρισμενος *praedestinationem* includat, ex Origene¹²⁴ et Irenaeo¹²⁵ super verbum *segregatus*).

6. Probatur 2^{um}: quia loquendo de Christo qui est Dei sapientia ait Paulus 1Cor 2,7 *quam praedestinavit Deus in gloriam nostram*, graece προώρισεν, atque noster interpres pro eodem usurpat statuere, decernere et praedestinare, unde Act 4,28 *transtulit manus tua et consilium decreverunt fieri*, graece προώρισεν. Sicut ergo προωρισμένοι dicuntur praedestinati, ad Rom 8[30] et ad Ephes 1[11], ita etiam ὠρισμένοι. Neque opus est divinare quod fortasse noster interpres legit προωριαθετος ut faciunt nonnulli.

[f.132v]

7. Ad obiectiones Erasmi, dico 1^o, falso citari pro ea sententia plures autores, multi enim quamvis non legant *praedestinatus*, manifeste tamen in nomine ὀρισθέντος divinam praefinitionem atque decretum intelligunt, ut Origenes et Hieronymus; praeterea Cyrillus¹²⁶, de fide ad reginas, et 7 in Jn c.12, et Tertulianus ad Praxeam, et inter iuniores Cajetanus¹²⁷ et alii qui legunt *definitum*. Imo *praedestinatus* legitur in Theophylacto hic, et in

¹²⁴ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom.* PG 14,846.

¹²⁵ IRENAEUS, *Contra haereses*, l.3, c.16. PG 7,922.

¹²⁶ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *De recta fide ad reginas*. PG 76,1223. In Jn l.VII. PG 74,14.

¹²⁷ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,4*. Opera t.5, Lugduni 1639, p.2.

Chrysostomo¹²⁸ homil.22 in Jn, et in Damasceno, l.4, c. 19,25. Sed plane id est apud illos ὁμοθεύτως quod qui transtulit debuisset ad eorum sententiam accommodare. Sicut etiam in Origene, homil. 3 in Isaiam. Sed tandem, si auctores quaeruntur, multo plures sunt pro nobis, de quibus postea. Imo ipse Chrysostomus, quem caeteri sequuntur videtur sibimet non satisfacisse, tum quia aliquando adhibuit quandam peregrinam interpretaationem, de qua postea, tum etiam quia difficultatem loci agnoscit, qui tamen in eo sensu erat admodum facilis. Quare videtur ea ratione ansam calumniandi arrianis auferre voluisse, ne si de praedestinatione interpretaetur locum illi ad suum errorem derivarent, quod fortasse fuit prudens pro concione eo tempore et in ea civitate. (Basillii et aliorum testimonia non reperio).

8. Ad rationes. In primis non est sine salebra usurpare eam vocem in sensu alieno ab Apostolorum phrasi. Et infra videbimus ea ratione incidendum esse in alia incommoda in huius loci explicatione. Deinde quod ait contrarium esse quomodo sit verum Jesum fuisse praedestinatum in Filium Dei per unionem Hypostaticam, dico —1°, forsam non esse eum sensum quamvis legamus *praedestinatus*, de quo postea, et ibi etiam quomodo cohaereant sequentia et an oporteat ad declarationem recurrere.

9. —Dico 2°, iam eam difficultatem complanatam esse a Divo Thoma, quod facile intelliges hac ratione: decretum de Incarnatione divide per intellectum in duo decreta, primum sit ut Maria habeat Filium nomine Jesum qui sit subsistens in hac Humanitate, nondum decernendo an debeat subsistere propria persona vel aliena. Quis prohibet deinde ut Deus decernat ut hic Jesus sit ipse Filius Dei per unionem personalem. Facilis ergo est illa propositio si per nomen JesuChristi intelligas quidem subsistentem in hac humanitate sed nondum determines qua subsistentia subsistat. Et, si quaeras quid rei contineatur in ea propositione, Respondeo ipsum decretum de Incarnatione, nam sive dicas decretum fuit ut Humanitas haec uniretur Filio Dei, ut explicat Haymo et multi scholastici apud Medinam¹²⁹, sive decretum est ut Filius Dei sit Homo, sive ut suppositum huius Humanitatis sit Filius Dei, semper eundem sensum explicasti.

10. Sed sive in hac explicatione sive in alia, quamvis difficilior esset nexus non tamen propterea explicanda erat illa vox aliter quam supradicta paene cogunt: quod dixerim ne eandem vocem de eodem Christo, eodem fere modo ab Apostolo prolatam audeat quis male versam calumniari in recepta ab Ecclesia versione.

¹²⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 23 (al 22)*. PG 59,141.

¹²⁹ BARTHOLOMAEUS MEDINA O.P., *In 3p D. Thomae, q.24, a.1*. Venetiis 1590, p.306.

11. Deinde ad obiectionem pro Origene etc, iam fere patet. Et Hieronymo opponimus Augustinum¹³⁰ tract.105 in Jn, qui ait impie negari Christum praedestinatum, et quamvis non sit controversia de re, tamen in hoc loco sequuta est Ecclesiae consuetudo potius Augustinum quam Hieronymum propter illud Pauli 1Cor 2[7], ubi contemnit id discrimen; unde *praedestinatus* legunt etiam Irenaeus¹³¹ l.3, c.18 et 32, Ambrosius¹³², Primasius¹³³, Anselmus, et denique post Augustinum omnes qui locum vel citarunt vel explicarunt. Et urgeo pressius: ipse Origenes fatetur Christum, qua Homo est, dici praedestinatum; sed hic est sermo de Christo qua Homo est, ut patet antea; ergo etc.

12. Manet ergo legendum esse *praedestinatus*. Sed volunt quidam utrumque sensum conciliare explicando praedestinatum est seu declaratum. Ita Grandis, et quamvis hoc videatur ridiculum sed potest hac ratione colorari quia praedestinatus, ex supra adductis idem est quod constitutus, et videntur eodem spectare, sive dicas hodie Philippus declaratus est rex vel constitutus rex, nam in inauguratione et constituitur et declaratur. Respondeo: si declaratio eo modo sumatur ut sonet inaugurationem et constitutionem et quasi sceptri traditionem etc, non recuso ut praedestinatus sit divino decreto declaratus nam perinde est sive dicas de Philippo fuisse ab aeterno constitutum ut esset Hispaniarum rex hodie, sive hodie esse electum et declaratum ex aeterno decreto; sed in eo sensu multo melius dicitur praedestinatus seu constitutus, quia haec verba exprimunt divinum decretum quod significatur in verbo ὀρίζειν [f.133] ex more Sacrae Scripturae; declarationis vero nomen potius ad probationem et veritatis confirmationem refertur, et sic acceperunt graeci. Et hoc interest quod constituere est de futuro, probatur autem quod iam erat; et nos explicamus constitutum vel declaratum esse ut deinceps Christus esset in virtute Filius Dei etc; illi explicant probatum et manifestum esse quod iam erat et adducunt signa quibus probata fuit eius divinitas. Sed discutiendo quid sit illud quod Christus accepturus erat ex ista praedestinatione videbimus etiam sensum graecorum comprahendi in sensu Vulgatae lectionis tanquam illius particulam, nam in ea dignitate quam Christus accepit maxime declaratur quis fuerat.

Lectio 6^a

1. Dubitatur ergo ad quid fuit praedestinatus Christus? Ad quam dignitatem?

¹³⁰ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.105*. PL 35,1907.

¹³¹ IRENAEUS, *Contra haereses, l.3, c.16*. PG 7,922.

¹³² AMBROSIUS, *Comment I Ep ad Rom 1,4*. PL 17,52.

¹³³ PRIMASIUS, *In Ep ad Rom comment*. PL 68,417.

Quidam respondent ex usu theologiae et Sacrae Scripturae in ipso nomine praedestinationis includi ad quid fuerat praedestinatus, scilicet ad beatitudinem; nam praedestinatio est electio ad beatitudinem, (in qua etiam Christus est nostrae praedestinationis exemplar, ex Augustino, de dono perseverantiae, c.ult).. Cum ergo dicitur praedestinatus Filius Dei explicant duo Christo competere, alterum quod sit praedestinatus, alterum quod sit Filius Dei. Hanc sententiam tribuit Durandus et Medina¹³⁴ Origeni, et aiunt esse claram. Sed, primum ea non est Origenis, deinde, non solum non est facilis sed fortasse nulla durior, quia quae sequuntur manerent absoluta vel dissoluta et minime cohaerentia. Et si liceret variare puncta vel commata posset etiam praedestinatus referri ad praecedentia. Dicendum ergo est ex sequentibus verbis esse petendum ad quid sit praedestinatus.

2. Sed dubitatur an in constructione *Filius Dei* praecedat vel sequatur; nam Origenes videtur construere quod *Filius Dei fuit destinatus ad* etc; et eam constructionem Medina tribuit Augustino, Hieronymo et Titelmano. Tamen re vera nullus ita construit, quia esset inepta repetitio *Filii Dei*, ac si diceres *promisit Deus Evangelium de Filio suo incarnato, Filio Dei praedestinato ad* etc. Praeterea in graecis participio praepositur articulus, Filio Dei non, quod non permittit ut Filius Dei haereat a fronte sed a tergo; unde Titelmanus admonitus de iis ab Erasmo, videtur mutasse sententiam in sua paraphrasi. Et in hoc non videtur esse controversia; quamvis aliqui quod dicitur *praedestinatus est Filius Dei* non accipiant eo modo quo dicitur designatus est consul, id est in consulem, sed quasi diceret praedestinatus est ad sanctificandum vel ad resurgendum, tanquam Filius Dei, ita ut Filius Dei haereat quidem a tergo sed in documentum sublimitatis ut ait Augustinus¹³⁵ in Inchoata, quasi diceret como quien era Hijo de Dios. Hoc etiam est duriusculum et neque proprie est haerere a tergo neque a fronte.

3. Sed videamus iam ad quid fuerit praedestinatus Christus:

—1^a sententia, quam magis probat Augustinus in Inchoata¹³⁶, et sequitur Primasius¹³⁷ et fere Anselmus, construit Christum praedestinatum ex resurrectione, id est prae caeteris vel ante caeteros surrecturum quodam principatu resurrectionis tanquam eum qui erat *Filius Dei in virtute* secundum Spiritum ut esset etiam primogenitus mortuorum et exemplar resurgentium.

¹³⁴ BARTHOLOMAEUS MEDINA O.P., *In 3p d.Thomae, q.24, a.1.* Venetiis 1590, p.305.

¹³⁵ AUGUSTINUS, *Epist ad Rom inchoata expos.* PL 35,2091.

¹³⁶ AUGUSTINUS, *Epist ad Rom inchoata expos.* PL 35, 2091.

¹³⁷ PRIMASIUS, *In Ep ad Rom comment.* PL 68,417.

4. — 2^a est Cajetani¹³⁸: Christum esse decretum Filium Dei, id est decretum ut uteretur maiestate sua in virtute, id est in iurisdictione et potestate iudicandi, secundum Spiritum etc, id est iuxta id quod postulat ille Spiritus Sanctificationis qui futurus est ex resurrectione. Hunc ait esse planum litterae sensum et vidimus supra similes locos Act 10 et Act 17. Sed valde se torquet et legentes fatigat. Mollius esset ad eundem secundum Christi adventum significandum constituere sic: Christum esse praedestinatum cum potestate iudicandi tanquam qui Filius Dei est, vel destinatum ut ostendatur Filius Dei in ea potestate.

5. — 3^a est Augustini in propositionibus et videtur Origenis¹³⁹ et Soti, Christum destinatum fuisse secundum Spiritum Sanctificationis, id est ad-sanctificandum, ex resurrectione etc.

6. — 4^a Cyrilli¹⁴⁰ et Augustini, de praedestinatione c.15, Tertuliani, Bernardi, Anselmi, Brunonis¹⁴¹, Interlinealis, Magistri¹⁴² et Scholasticorum, Adami, Catarini, Soti etc, qui praedestinatum referunt ad Incarnationem in ea locutione praedestinatus est Filius Dei.

7. — 5^a, Ambrosii¹⁴³ et Augustini¹⁴⁴, tract. 105 in Jn (et refert Beda), Magistri¹⁴⁵ hic, Durandi¹⁴⁶ 3, d.10, q.3, 1^{um}, qui explicant *praedestinationem in Filium Dei*, id est ut manifestaretur Filius Dei, nam in Sacra Scriptura *feri* quandoque est esse, et facit illud *Clarifica me Pater claritate quam habui*, id est manifesta in me, etc. et illud *ero illorum Deus* etc. Sic etiam hispani *hacer del rey*, id est ostendere se regem vel regiam auctoritatem ostendere. Et quod supleatur hic declarationis nota non est mirum quia in 4^a sententia eam subaudiunt fere omnes, nisi quod (quamvis nemo id satis explicet) quantum coniiicio quidam eam ponunt post illa verba praedestinatus est Filius Dei, ut apparet in virtute etc, quidam cum dicitur secundum Spiritum Sanctificationis eo modo accipiunt quo dici solet, secundum haec argumenta certum est hoc, id est ut per ea declaratur. Alii cum dicitur *ex resurrectione*, illud *ex manifestationis vim habere dicunt eodem fere modo.*

[f.133v]

¹³⁸ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,4*. Opera, t.5, Lugduni 1639, p. 2.

¹³⁹ ORIGENES, *Comment in Epist ad Rom*. PG 14,849.

¹⁴⁰ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Explanatio in ep. ad Rom. 1,3*. PG 74,774.

¹⁴¹ BRUNO CARTHUS., *Expos in ep ad Rm, 1*. PL 153,18.

¹⁴² PETRUS LOMBARDUS, *In ep ad Rom, 1*. PL 191,1309.

¹⁴³ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,4*. PL 17,52.

¹⁴⁴ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 105*. PL 35,1907.

¹⁴⁵ PETRUS LOMBARDUS, *Sententiarum, 1,3, d.10, c.1*. Ad claras Aquas, 1916, t.2, p.594.

¹⁴⁶ DURANDUS, *In Sententias...1,3, d.10*. Venetiis 1586, p.232.

8. In omnibus his sententiis —ad 1^{am} allicit primogenitum, sed est in eo difficultas. —pro 2^a adduximus locorum similitudinem ad iudicium nos vocantem, sed deterret ipsius explicati iudicii durities. —in 3^a invitat Sanctificatio, sed prohibent nos impedimenta explicationis non satis expeditae. —4^a videtur in ingressu facilior, sed est in exitu difficilior, et cum aliquid magnum videatur pollicita de eximia quadam praedestinatione, tandem solum id praestat ut Paulus repetat quod iam dixerat, scilicet Deum decrevisse Incarnationem Verbi; atqui iam dixerat Deum promisisse Evangelium de Filio suo facto Homine. (Non credendum est Apostolum voluisse id ipsum repetere subtiliori loquutione quod iam plane dixerat). Quod si dicas praedestinationis vocem adiectam ad excludenda merita Christi iuxta praecipuum epistolae institutum de Gratia Dei, non video unde id intelligatur nisi ex antecessione decreti, de quo iam dixerat. —5^a denique sententia videbatur conciliare graecos cum latinis et illorum facilitatem imitari coniungens *praedestinationem* cum *declaratione*, sed non satis persuadet interpres qui de suo addit aliquid textui, nisi contextus probet id esse subintelligendum.

9. Praeterea in omnibus his sententiis, et apud graecos etiam, desideratur id quod textus et ratio manifeste postulat, ut quoniam eadem loquendi forma dixit filius David ex semine secundum carnem, et statim Filius Dei ex resurrectione secundum Spiritum, nos quoque ad eandem normam explicemus ut Filius Dei Filio David, Spiritus carni, et resurrectio semini, sibi in oppositione correspondant. Nam et Augustinus¹⁴⁷ (in Inchoata) ait: sicut dictus est Filius David secundum carnem, ita dicitur Filius Dei secundum Spiritum; et sicut Filius David ex semine, ita Filius Dei ex resurrectione. Et Chrysostomus¹⁴⁸ adiectum ait *secundum carnem* quoniam habet aliam generationem secundum Spiritum, de qua statim subdit. Et hanc contrapositionem omnes optarent, sed nisi referatur ad declarationem non videtur quomodo potuerit praedestinari ut esset Filius Dei ex resurrectione eo modo quo factus est Filius David ex semine, si tamen in aliquo loquendi genere apud Paulum recepto probetur Christus ex resurrectione habere quod sit Filius Dei, quadrabunt adamussim antiteta et nulla voce subaddita (quod erat duriusculum) simpliciter constructur textus ut iacet, sine inversione ordinis quod erat optandum.

Lectio 7^a

1. Sed videamus primum varias sententias in singulis vocibus.

In virtute. —Primus sensus est *in virtute secundum Spiritum Sanctifica-*

¹⁴⁷ AUGUSTINUS, *Epist ad Rom inchoata expos.* PL 35, 2091.

¹⁴⁸ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1.* PG 60,397.

tionis, id est, in eo robore et excellentia sanctitatis quae per Spiritum sanctificantem homini tribuitur, quia in hac etiam virtute est Christus Filius Dei, iuxta illud *qui Spiritu Dei aguntur* etc, neque obstat ad hunc sensum quod in graeco non habeatur ἀρετῆ sed δύναμις quia nomen ἀρετῆ non invenitur fere apud Apostolos, nisi ad Fil 4 *si qua virtus*, et 2Pt 1 [5] *in fide vestra virtutem*, et aliis locis ubi potius significat potentiam. 1Pt 2[9] *ut virtutes annuntietis eius*, et 2Pt 1[3] *vocavit nos propria virtute* (non invenio alibi). Et δύναμις saepe dicit sanctitatis excellentiam, ut Act 1[8] *accipietis virtutem Spiritus Sancti*, et Lc 24[49] *induemini virtutem ex alto*, et Act 6[8] *Stephanus plenus virtute*, et ad Ro 15,13 *ut abundetis in virtute Spiritus Sancti*. Itaque si caetera cohaerent sensus erat *in virtute*, id est in sanctitate, sed non cohaerent. (In rigore ἀρετῆ est virtus, ut opponitur vitiis, et δυνάμις opponitur inbecillitati, sed Apostoli usi sunt ad significandam sanctitatem potentiae nomine. (Porque es valentía tanto que al nombre de ἀρετῆ le vienen a tomar por potencia).

2. Secundus sensus est *in virtute*, id est in miraculorum patracione, sic enim accipitur saepe id nomen in Sacra Scriptura, ut Mt 6 et 11 et 7 et 13. Et quia haec virtus non videtur aliud habere locum nisi tanquam signum divinitatis, ideo Chrysostomus et alii distinguunt tria signa, scilicet eam virtutem qua Christus vivens utebatur, et Spiritus sanctificationem quae copiose data est Ecclesiae nascenti, et Resurrectionis singulare trophaeum. Si tamen Apostolus vellet enumerare tria signa profecto eadem loquendi forma dixisset *in virtute*, *in Spiritu*, *in resurrectione*, etc. Quare diversa phrasis omnino postulat aliam connexionem. Et hoc etiam argumentum valet contra eos qui duo solum distinguunt signa. Quod vero attinet ad *virtutis* nomen ex illis etiam locis patet ad significanda miracula in communi solere poni *virtutes* in plurali, sicut diceretur Christus declaratus est esse Deus non uno miraculo sed miraculis.

3. 3°, quidam explicant *in virtute*, id est in potentia, et rogati de qua potentia intelligant, id aiunt ex sequentibus declarari, construentes in potentia secundum Spiritum Sanctificationis, id est in potentia tribuendi Spiritum Sanctum, ut ait Sotus, vel in potentia ex resurrectione, id est in potentia qua surrexit, sed utrumque est valde durum.

4. 4°, *in virtute* sive in potentia, id est potenter seu divino brachio, nam sive ad Incarnationem referatur sive ad declarationem divinitatis, in utroque dicitur Deus fecisse potentiam in brachio virtutis suae. Sed quamvis bene cadat potenter incarnatus vel potenter declaratus, non tamen apte cadit praedestinatus Filius Dei potenter.

5. 5° declarant multi *Filius Dei in potentia*, id est Filius Dei eiusdem

potentiae cum Patre, quasi diceret non utcumque Filius, sed aequalis. Sed quis unquam ad potentiae aequalitatem asserendam solum dicat in potentia?

[f.134]

6. Vide etiam quam varie explicent quod sequitur *secundum Spiritum Sanctificationis*:

—1° Chrysostomus, homil. De Spiritu Sancto ait: multi putarunt quod τὸ *secundum Spiritum Sanctificationis* adhaereat proximo verbo *qui definitus est Filius Dei* etc; non est autem sic sed quod supra dixerat *segregate in Evangelium Dei*, (interposita parentesi de materia Evangelii) continuat iam quomodo sit *segregate*, nempe non per Christum mortalem ut reliqui, sed per Spiritum Sanctum post Christi Resurrectionem, Act 13[2] *segregate mihi* etc. Hinc patet quo abduxerit aliquando Chrysostomum loci difficultas.

7—2^a constructio est quam refert D. Thomas¹⁴⁹, ut quia dixerat *Christum factum esse Filium David et definitum Filium Dei*, Spiritus Sancti operatio referatur ad 1^{um} et Resurrectio ad 2^{um}, quasi dicas factus est Homo per Spiritum Sanctum, definitus est Deus per Resurrectionem. Sed sine huiusmodi inversione durissima, multo aptius res valet expediri, unde nemo has constructiones sequitur. Et Chrysostomus tandem in commentariis et Jn 2 homil.22, communem retinet distinctionem. Sed in ea sunt varii sensus.

—Nam multi explicant *sanctificationem secundum Spiritum* quasi diceret in sanctificatione peccatorum vel in Spiritus Sancti largitione, sive id sit signum divinitatis (ut volunt Chrysostomus¹⁵⁰ et D. Thomas) sive id ad quod Christus dicitur destinatus, ut ait Sotus et Medina¹⁵¹ 3p, q.1, 3^o fine.

8.—2^o, quidam *secundum Spiritum Sanctificationis* quasi dicas per Spiritum Sanctificantem, quod nos dicimus por obra de Espíritu Santo, et posset hoc ad declarationem referri, sed ad Incarnationem referunt Cyrillus¹⁵² ad reginas, Augustinus, de Praedestinatione c.15, D.Thomas¹⁵³, Anselmus et Tiltelmanus. Ad Resurrectionem vero Zegerus et Contarenus, quod etiam Sotus tribuit Chrysostomo, quasi diceret praedestinatus est Filius Dei ex Resurrectione quae facta est per Spiritum Sanctum vel dicitur resurrectio facta secundum Spiritum non quod peculiariter tribuatur Spiritui Sancto ut Incarnatio, sed quod *seminatur corpus animale et surgit spirituale*, 1Cor 15.

¹⁴⁹ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom lectio III*. Ed Vivè, t.20, p.389.

¹⁵⁰ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil I*. PG 60, 397.

¹⁵¹ BARTHOLOMAEUS MEDINA O.P., *In 3p D.Thomae, q.24, a.3*. Venetiis 1590, p. 312.

¹⁵² CYRILLUS ALEXANDRINUS, *De recta fide ad reginas*, PG 76,1223.

¹⁵³ THOMAS AQ., *in Ep ad Rom lectio III*. Vivès t.20, p.389.

9. —3°, *Secundum Spiritum Sanctificationis*, id est secundum divinitatem quia humanitas opponenda videtur divinitati; sed illa significatur nomine *carnis*; ergo haec nomine *spiritus*; et quod addit *sanctificationis* erit eius epithetum, ut supra. Ita Augustinus, Adamus, Zegerus, etc. Et posset accommodari sic: destinatum fuisse ut Christus esset in virtute secundum quod illius divinitatem decebat, vel ut haberet gloriam quasi unigeniti a Patre. (Vidimus etiam supra quomodo Caietanus).

—4°, Caterinus et Naclantus, sicut supra *secundum carnem* intellexerant in statu mortali, ita *secundum spiritum* intelligunt in statu gloriae, in quo homines sunt sicut angeli et corpus etiam appellatur spirituale. Sed iam supra vidimus aliud sonare hic nomen *carnis*, et non est levis confirmatio quia alioqui oporteret durissime accipere nomen *spiritus*, et aliter quam postulat *sanctificationis* nomen quod subditur.

10. Tandem perpende quantum variant *in resurrectione mortuorum*. Quidam nolunt construere definitum esse Filium Dei ex Resurrectione sed intellegunt Apostolum loqui de quadam Spiritus sanctificatione ex resurrectione; et quidem Naclantus et Caterinus qui per Spiritus Sanctificationem intelligunt statum gloriae, explicant ante previsionem peccati praedestinatum fuisse ut homo esset Deus in eo statu gloriae quem tandem postea habuit ex resurrectione, quasi diceret praedestinatus primo fuit in eo statu in quo postea resurrexit.

2°, alii *Resurrectionem* intelligunt esse quandam sanctitatis imaginem (de quo saepe Paulus) atque ita sanctificationem ex resurrectione accipiunt eam sanctitatem ad quam homo informatur ex ipsa resurrectione, quasi diceret que santifica a los hombres a la traza y modelo de su resurrección. Sic etiam Augustinus¹⁵⁴ in *Inchoata*, quod esset fortasse minus durum si per sanctificationem intelligeres glorificationem.

3°, quidam volentes etiam haec verba ad sanctificationem referre, *resurrectionem mortuorum* mystice declarant de animarum resurrectione, quasi diceret sanctificationem incipere ex quadam resurrectione spirituali animarum. Et sic etiam Anselmus, Magister¹⁵⁵, D.Thomas¹⁵⁶.

11. Sed quia haec omnia minus apte cohaerent, communior constructio est *definitum esse Filium Dei ex resurrectione*, sed variant interpretes,

¹⁵⁴ AUGUSTINUS, *Epist ad Rom inchoata expos.* PL 35, 2091.

¹⁵⁵ PETRUS LOMBARDUS, *In ep ad Rom I.* PL 191,1309.

¹⁵⁶ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom lectio III.* Ed Vivès t.20, p.389.

—nam quidam *praedestinatum ex resurrectione*, id est ut esset primogenitus resurgentium (de quo supra) lect.6, n.3.

—2º, Ambrosius¹⁵⁷, Chrysostomus, D. Thomas¹⁵⁸, etc, Resurrectionem Christi faciunt signum divinitatis, quod alii de mortuis quos Christus suscitavit vel corporaliter vel spiritualiter etiam explicant, vel de illa resurrectione qua se cum multis aliis suscitavit, quae est generalis resurrectionis argumentum; pro qua explicatione adducit Erasmus¹⁵⁹ veteres et nominatim Origenem et Hieronymum.

—3º, cum Origene¹⁶⁰ et Augustino¹⁶¹ D.Thomas et plerique interpretauntur *ex resurrectione*, id est post suam Resurrectionem, nam vel tunc effudit Spiritum Sanctum vel tunc accepit maiestatem vel tunc declaratus est. Communis autem modus loquendi est *ex illo die* id est ab illo die vel post illum diem.

Lectio 8ª

Quae continet nostram explicationem illorum verborum

qui praedestinatus est Filius Dei etc

1. Nota Paulum, Act 13[1,5], id Psalmi 2 *ego hodie genui te*, de Christi Resurrectione declarasse, in quo non solum videmus resurrectionem esse regenerationem et novum quodam nativitatis genus (ut ex multis Sacrae Scripturae locis notum est) sed etiam huic novae generationi tribui quod Christus sit Filius Dei. ((.Yo te di el ser, en él pasa a la Humanidad la claridad que te di ab aeterno ac si hodie genuissem Te.)) Sed dices quid sibi vult haec Dei filiatio, nam primum per unionem Hypostaticam Christus Homo erat Filius Dei ex utero Matris; deinde si *qui Spiritu Dei aguntur hi sunt filii Dei*, eo etiam modo per insignem gratiam Filius Dei erat in carne mortali supra caeteros omnes, ut patet in Transfiguratione *hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*. ((... pasa a la Humanidad la claridad que te di ab aeterno ac si hodie genuissem te)) Quod si beati peculiarissime [f.134v] filii Dei nuncupantur Lc 20,36, aequales angelis sunt et filii sunt Dei, beatus erat ab instanti suae conceptionis quoad animam, corporis autem exaltatio non videtur tanti faciendae ut propter eam tam splendidum nomen praecipua quadam ratione tribuatur Christo. Nam si ad eam dignitatem quae unione,

¹⁵⁷ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,4*. PL 17,52.

¹⁵⁸ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom lectio III*, Ed Vivès t.20, p.389.

¹⁵⁹ ERASMUS ROTERODAMUS, *ad Rom 1*. Opera omnia, t.6, Lugduni 1705, col.556.

¹⁶⁰ ORIGENES, *Comment in Epist ad Rom, l.1*. PG 14,852.

¹⁶¹ AUGUSTINUS, *In Ep ad Rom inchoata expositio*. PL 35,2091.

gratia et gloria continetur velimus comparare id corollarium quod Christus accepit in Resurrectione, parum magnifice de illis sentimus.

2. Respondeo: fateor, sed Christus in Resurrectione non solum accepit Corporis glorificationem sed aliquid divinius quod videbatur esse proprium Dei. (Vide interpretaetes et Ps 109). Probatur Apoc 5[12] *dignus est agnus qui occisus est accipere divinitatem* etc. et ad Hebr [1,4] ubi Christus dicitur tanto differentius *prae angelis nomen haereditasse* scilicet in Resurrectione, sequitur enim *Filius meus es tu Ego hodie* etc quod iam vidimus a Paulo explicari. Supradictae autem haereditatis maiestas consistit in hoc quod Christus in Resurrectione accepit supraemum in omnes creaturas imperium, et tunc constitutus fuit rex non iudaeorum solum sed omnium gentium, Ps 2 [8], et in eo solio et trono collocatus est ut vere dicatur *sedere ad dexteram Patris*. (Sicut valet *si Filius et haeres*, ita e converso). (Vide interpretaetes simboli et Paulum ad Hebr 1[2]).

Ad hunc principatum pertinet —1°, ut inter homines haberet glorificationis primatum para que el vestido del rey sea más rico que el de los vasallos. —2°, ad imperialem maiestatem pertinet auctoritas curiae et frequentia principum atque magnatum qui omnes ab eius ore pendeant et quocumque comitatum adeant magna cum veneratione, et hoc modo explicavit rem Paulus ad Hebr 1[6]A ex Ps 96 cum *iterum*, id est cum secundo, *introducitur Primogenitum in orbem terrae*. Es la 2ª natividad o generación temporal. Dice *adorent eum omnes angeli eius*, id est háganle corte. (Vide titulum Ps 96 qui manifeste pertinet ad Christi Resurrectionem). —3°, regis est virga aequitatis et sceptrum iustitiae, et sic eandem rem declarant Petrus et Paulus dum aiunt Christum *constitutum esse iudicem vivorum et mortuorum*. —4°, huius imperatoris qui ad subditorum gloriam et beatitudinem constitutus est (1Cor 2) eius erat magna in sanctificandis cuiuscumque sortis hominibus cura et liberalitas. Considera ergo quam aliter se habeat genus humanum post Resurrectionem Christi quam antea, et ad hanc sanctificationem adde quam feliciter tot homines Christus in coelum introducat et sanctificet eorum corpora glorificaturus ut in multis incepit. —5°, denique non solum ex eo quod propria virtute surrexit sed praecipue ex universa gloria et maiestate supradicta agnoscitur Christus esse vere Filius Dei per unionem personalem etc quod in illo mortali latebat, et interim ille nolebat se Filium Dei dictitari eadem ratione qua voluit dissimulare et condecenter ad dissimulantis statum. Sed cum iam habeat gloriam et maiestatem quasi Unigeniti a Patre (Jn 1), vult etiam pleno ore appellari Filius Dei, quia exiit se nomine Filii Hominis. Quare constitutum esse ut in Resurrectione nasceretur Filius Dei includit et illud quod dicebat 5ª sententia (de qua supra lect 6, n.7) nempe constitutum

esse ut declararetur propter dictam Sacrae Scripturae phrasim. (Quare habemus pro nobis omnes illos auctores, et graecos etiam) non dico ut aliqua operatione declararetur, sed in conditione, statu et gloria quibus omnia supradicta continentur, quasi diceret Paulus, antea quidem erat Filius Dei sed nondum apparebat, quare in regeneratione videtur natus Filius Dei, neque opus est aliquid suplere quia haec ipsa gloria et maiestas appellatur filiatio Dei propter omnia supra dicta. Quod, ut magis probetur, nota negari non posse quod haec omnia Christo competant ex Resurrectione, quia de singulis id docemur in multis Sacrae Scripturae locis. Praeterea negari non potest quod haec omnia in unius felicissimi et universalissimi regni nomine continentur, ut probavimus discurrendo per singula.

Solum ergo superest ut haec regia maiestas per quam Christus dicitur post Resurrectionem sedere ad dexteram Patris vindicet sibi nomen Filii Dei. Nam si diceret Paulus praedestinatum fuisse Christum ut ex Resurrectione sederet ad dexteram Patris, locus erat planus atque perspicuus, et omnes supradictae sententiae eodem tendebant, quamvis nulla totam rem plane expediret. Nos ergo dicimus idem prorsus dixisse Paulum sed alia phrasi. (Haec sedes et regni solium debebatur Christo per Unionem, nisi ille suis meritis maluisset reservari). (Vide Ambrosium De fide Resurrectionis, post medium tomi 3, ubi ait *resurrexit Homo quoniam Homo mortuus, et resuscitatus homo sed resuscitans Deus; tunc secundum carnem Homo, nunc per omnia Deus*. Cántalo la Iglesia en los maitines, dominica 5 post Pascha, lect 4). Idem ergo efficimus si probamus [f.135] illam regiam maiestatem vindicare sibi nomen Filii Dei. Id autem esse verisimile mea quidem sententia satis probant supradicta, et locorum sibi correspondentium explicatio, et praeterea illa phrasi Villavicentii in qua probat principes et potestate pollentes in Sacra Scriptura filios Dei appellari, et adducit illud Gn 6 *videntes filii Dei filias hominum*, et illud Ps 81 *Deus stetit in Sinagoga deorum*. Et in eo sensu caeca gentilitas putabat aliquos ex hominibus constitutos esse deos. Id est propter insignes virtutes accepisse potestatem quandam eximiam supra res humanas. Ad quod alludere videtur Paulus dum ait constitutum esse Christum Filium Dei ex Homine, atque id verissime et excellentissime, non ut illi falso et misere fingeant in suis diis. (Christus ergo 1^a generatione temporali factus est filius Davidis, ille inquam filius figuratus atque promissus, qui aedificaturus erat Ecclesiam quae est domus Dei et regnum coelorum aeternum, id ergo habuit ex 1^a generatione secundum carnem, id est iure haereditario a carnis progenitoribus iuxta illud *caro et sanguis non revelavit*, (no es herencia de tus padres,) esse vero Filium Dei filiatione temporali, id habuit Christus ex 2^a generatione secundum Spiritum Sanctificationis, id est non secundum carnem, non iure haereditario sed iure sanctitatis quam habuit,

propter quam dedit illi Deus nomen Filii Dei *quod est super omne nomen*, non ut Iesus appellaretur, quia hoc iam habebat).

3. Quod si nihilominus omnino velis ut nomen Filii Dei referatur hic ad unionem personalem, ea etiam ratione poterimus in nostra explicatione persistere si cum D. Thoma et multis aliis dicamus non esse sistendum in illa voce *Filius Dei*, sed *praedestinationem* cadere in totum illud *praedestinatum est ut esset Filius Dei in virtute*, sed nomine *virtutis* intelligendo maiestatem et auctoritatem (ut postea videbimus) et explicando quasi diceret antea quidem erat Filius Dei sed dissimulabat, constitutum autem est ut ex resurrectione esset iam non solum Filius Dei ut erat, sed etiam cum gloria et maiestate, nam de rege qui exularet in restitutione dici posset factum esse ut qui antea erat vere rex, deinceps esset rex cum maiestate. Et sane sive eam phrasim sequamur sive illam in qua nomen Dei sonat supremam potestatem nostra sententia est praedestinationem Christi de qua loquitur Paulus eam esse in qua Christus electus est sive decretus universalissimi imperii supremus et felicissimus monarcha, in quo clauduntur omnia supradicta. Et si quaeras huius explicationis auctores, dico me neminem vidisse qui explicite sub nomine principatus compraeendat omnia, quamvis satis innuant Augustinus, Primasius¹⁶² et Hieronymianus. Adde etiam Naclantus in digressionem ad Eph 1. Et quamvis nullus omnia complecteretur non propterea est sententia sine auctore sed potius est omnium auctorum, quia si velis eorum omnium explicationes complecti et nihil relinquere ex his quae sapienter singuli annotarunt quasi omnibus in unum conferentibus, nescio quomodo consurgit huiusmodi simplicior et opulentior explicatio, et manet locus absque ulla difficultate.

4. Deinde quod dicitur *in virtute*, dico cum Medina et aliis nomen *virtutis* (seu $\delta\upsilon\nu\alpha\mu\epsilon\omega\varsigma$) sonare hic maiestatem et saepe alibi. Nam Apoc 15,8 dicitur *templum impletum esse fumo a maiestate et virtute Dei*; et Mt 24 et Mc 13 Christus dicitur *venturus cum virtute multa et maiestate*, et Mt 25, Mc 14, et Lc 22 dicitur *sedere a dextris virtutis Dei*. Sic etiam Mc 9,1, etc. Porro Maiestas haec continet omnia supra dicta, unde et illam potentiam iudicandi, de qua Cajetanus¹⁶³, quae seorsum accepta erat valde obscura. Deinde illa particula *in* vel explicat in quo futurus fuerat Christus Filius Dei, qui iam erat Filius per Unionem et gratiam, vel decretum esse ut qui Filius Dei erat, esset in maiestate, quasi diceret cum maiestate, nam *in* pro *cum* saepe accipitur ut notant Erasmus¹⁶⁴ et Adam.

¹⁶² PRIMASIUS, *In Ep ad Rom comment.* PL 68,417.

¹⁶³ THOMAS A VIO CAIETANUS, *In Ep ad Rom 1,4.* Opera t.5, Lugduni 1639, p.2.

¹⁶⁴ ERASMUS ROTERODAMUS, *ad Rom 1.* Opera omnia, t.6. Lugduni 1705, col.556.

[f.135v]

5. Tandem nota in illa antithesi supradicta nihil correspondere huic maiestati quia non erat ad rem explicare Christi mortalitatem et humilitatem in qua primo natus est, et satis hic indicatur primum caruisse maiestate.

6. *Secundum Spiritum sanctificationis.* Duas subiiciam explicationes quae mollius et aptius videntur quadrare. —1^a est cum dixerit Christum destinatum esse ad maiestatem, potestatem et imperium, subiicit eam maiestatem esse *secundum Spiritum sanctificationis*, quasi diceret in Spiritu sanctificandi, quemadmodum dicitur quis imperare in spiritu lenitatis vel secundum spiritum lenitatis, sic ergo regnare in spiritu sanctificandi erit regnum eius destinatum esse ad sanctitatem et gloriam nostram, 1Cor 2. Et nota quod *spiritus* nomen solet significare in iis phrasibus modum, formam et quasi animam rei. Quod si quaeras antithesim, haec est: Christum propter carnem et propter ius haereditarium esse filium Davidis, regni illius haeredem, etc. At vero in sanctificandi spiritu quae est velut anima supraemi regni et maiestatis illius, in hoc esse Filium Dei. Et ea quidem ratione videmur Cajetani¹⁶⁵ sententiam accommodatius explicasse, et facit Soto supra, et alii. —Altera explicatio est ut Spiritus sanctitatis sonet hic excellentem Christi sanctitatem. Nam primo sanctificatio pro sanctitate ponitur ut patet in graeco, atque ita ad Christi sanctitatem debet potius referri quam ad aliorum sanctificationem. Deinde Spiritus sanctitatis eadem phrasi dicitur qua Spiritus fortitudinis, Spiritus consilii, etc, quod sonat excellentem fortitudinem, etc. Praeterea constitutum esse Christum in ea Maiestate secundum suam sanctitatem, id est propter suam sanctitatem, oboedientiam, humilitatem, etc iuxta merita illius, consonat multis locis Sacrae Scripturae et est phrasis usitata illius particulae *secundum*, ut patet in concordantiis Benedicti. (1Cor 1 *iustitia*, *sanctificatio* etc).

7. Et denique est clarior antithesis quod eodem modo dicatur *ex carne*, id est ex carnis progenitoribus habere quod sit ille filius Davidis, ut supra, et ex suo sanctissimo Spiritu, id est ex oboedientia et humilitate quod constitutus sit post resurrectionem in tanta maiestate. Atque id fere ubique sonat carnis et spiritus oppositio, ut spiritus dicat sanctitatis rationem, et caro quod quasi haereditarium ex carnis progenie habemus. Nisi quod in nobis solet accipi in malam partem, quod non habet locum in Christo. In huius declarationis probationem satis sunt quae adduximus ad probandum hic agi de Christi maiestate, nam iis praesuppositis nemo credo negabit hunc esse genuinum sensum. Et perpende quam sit facilis, si de P. Francisco Borgia diceres eum secundum

¹⁶⁵ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,4*. Opera t.5, Lugduni 1639, p.2.

carnem fuisse ducem et principem, at vero secundum Spiritum et iuxta suae sanctitatis meritum electum fuisse nostri ordinis generalem; certe omnes dixerint esse modum loquendi satis perspicuum et consonum phrasibus Sacrae Scripturae. Eodem ergo modo debet accipi.

8. **Ex Resurrectione.** Vide ultimam expositionem quam adduxi lect. 6, fine. Et eam expositionem quae communior est si molliter tantillum flectas vel potius dirigas, invenies cum Augustino¹⁶⁶ aptissimam contrapositionem inter illa verba *ex semine* et *ex Resurrectione*, nec enim solum [f.136] ab illo die Christus est princeps cum maiestate, sed sicut per semen Davidis declaratur nativitas ex posteritate Davidis, ita etiam Resurrectio est quaedam nativitas ex phrasi Sacrae Scripturae, ex more Sacrae Scripturae, ut supra. Praeterea *nasci ex Resurrectione* est etiam nasci ex semine, 1Cor 15[37] et Jn 12[24] natus est ergo ex Resurrectione primogenitus inter omnes et per consequens antonomastice Filius Dei, quia ut ipse ait Lc 21[36] de beatis *sunt filii Dei cum sint filii resurrectionis*. In qua etiam loquutione resurrectio videtur esse quasi mater, et quadrat si per semen Davidis intelligas Virginem, ut supra. Consonat etiam phrasi Sacrae Scripturae quod ex resurrectione constitutus sit princeps, quia Act 13,22 dicitur *suscitavit illis David regem*. Et videtur modus loquendi habere emphasisim, ad notandum eam fuisse figuram resurrectionis.

9. **Mortuorum.** Ex dictis patet quomodo alii accipiant, sed quia iam vidimus sermonem esse de Christi Resurrectione, dubitatur cur ait *mortuorum*, cum deberet dicere ex mortuis. Respondet Adam esse hebraismum et abundare genitivum et in Sacra Scriptura idem prorsus esse resurrectionem et resurrectionem mortuorum. Quod si obiicias *ἀναστασιν* latius patere (ut surgere apud latinos) atque adeo additum esse *mortuorum* ad declarandum de qua resurrectione sit sermo, concedit Erasmus¹⁶⁷, sed ait has duas dictiones *resurrectionem mortuorum* debere accipi complexim pro unica, et sic non opus esse praepositione, sicut triunvir, decemvir, non unus ex decem, etc. Et hispanice “un 24”, no uno de los 24.

Alii dicunt Christi Resurrectionem appellari *morturum* eo quod alios fecit secum resurgere et quod in ea intelligatur omnium mortuorum resurrectio, quasi Paulus iis verbis significet Christum esse eum cuius virtute simus resurrecturi. Vide Ambrosium¹⁶⁸ et quae Erasmus¹⁶⁹ adducit ex Origene et

¹⁶⁶ AUGUSTINUS, *In ep ad Rom inchoata expositio*. PL 35,2090.

¹⁶⁷ ERASMUS ROTERDAMUS, *Ad Rom c.1*. Lugduni 1705, col.556.

¹⁶⁸ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,4*. PL 17,52.

¹⁶⁹ ERASMUS R., *ad Rom 1*. Opera Omnia, t.6, Lugduni 1705, col.556.

Hieronymo. Verum simplicius est pro eodem accipere *mortuorum* et ex mortuis (quamvis repugnet Sotus et alii) nam in graeco idem est casus, et solum interest praepositio, quae cum saepe omitti solet, tum in hoc loco poterat mollius omitti ut late Erasmus, cui in grammatica graeca credendum est. Quod si adhuc contendas resurrectionem Christi minus proprie dici νεκρῶν quam ἐξ νεκρῶν id est mortuorum quam ex mortuis, sit sane sermo minus proprius: eius imperitiam agnoscit in se Paulus neque id curavit discrimen quod multae linguae despiciunt ut hispana in qua eodem modo veritas ex mortuis et mortuorum, scilicet, de los muertos.

10. *Iesu Christi*. Si solum spectes casum graecum, quia illa omnia *de Filio suo facto Homine, praedestinato* etc sunt etiam in genitivo, poterat etiam eodem modo verti de Filio suo Iesu Christo. Et eum sendum sequuntur Valla, Erasmus¹⁷⁰ et Cajetanus¹⁷¹. Et eodem spectat illa altera lectio *qui definitus est ex resurrectione mortuorum Iesus Christus* ad vitandam hyperbati molestiam. Hoc tamen quod illi adeo probant et venditant mihi videtur durissimum et ineptissimum, neque solum non miror cum Erasmo¹⁷² nemini unquam id in mentem [f.136v] venisse ante Laurentium¹⁷³ sed potius mirarer si aliquis gravis auctor ita construxisset vel si eo modo vulgatus transtulisset. Quis enim audiat sine risu sic loquentem: advenisse nuntium de filio imperatoris qui natus est ex familia austriaca et constitutus hispaniarum rex cum adhuc pater viveret propter insignes virtutes, Philippo domino nostro. Quanto mollius est si dices Philippi domini nostri, id est propter virtutes ipsius Philippi. Maxime cum annotaverit Augustinus et post eum multi, hebraismum esse frequentem in Sacra Scriptura, ponere antecedens pro relativo, ut fecit Moises *sicut praecepit Dominus Moisi*. Sic ergo Iesus factus est ex semine David, praedestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum Iesu Christi, id est ex resurrectione, et propterea utitur phrasi hebraica. Omnino ergo legendum est Iesu Christi ut legerunt omnes latini et intellexerunt omnes graeci ante Laurentium.

11. Sed dubitatur unde regatur iste genitivus, nam quidam referunt ad mortuos, et mortuos Christi appellant quos ipse suscitavit, ut refert D. Thomas¹⁷⁴. Beda etiam refert ex Augustino hunc genitivum *Iesu Christi* regi a virtute vel a sanctificatione vel a resurrectione. Respondeo: quamvis hoc non mutet sensum, verum simplicius est quod omnes fere sequuntur, nempe constituendum esse cum resurrectione, quasi dicas ex ipsius Christi resurrec-

¹⁷⁰ ERASMUS R., *ad Rom 1*. Opera omnia, t.6. Lugduni 1705, col.557.

¹⁷¹ THOMAS A VIO CAIETANUS, *In ad Rom 1,4*. Opera t.5, Lugduni 1639, p.2.

¹⁷² ERASMUS R., *ad Rom 1*. Opera omnia, t.6. Lugduni 1705, col.557.

¹⁷³ LORENZO VALLA.

¹⁷⁴ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom lectio III*. Ed Vivès t.20, p.389.

tione mortuorum. Et videtur addidisse nomen Iesu Christi quia facta mentione de resurrectione debuit eum *Dominum* appellare ut contemplatur Augustinus hic, quia ex resurrectione habet Christus ut inter divinas Personas ei nomen *Domini* approprietur, quamvis antea pro more regionis a suis appellaretur *Dominus*. Vide supra verbum *servus* et verbum *Filius Dei in virtute*, et Irenaeum l.3, c.6¹⁷⁵.

12. Relinquitur ergo per illa verba *de Filio suo* hucusque proposuisse Paulum materiam Evangelii summatim hac ratione: Filium Dei incarnatum nobis esse datum in Messiam et illum post suam mortem divino decreto constitutum esse imperatorem universi ad nostram felicitatem. (Esta es suma de todo el Evangelio).

Lectio 9^a

1. ***Per quem accepimus gratiam et apostolatam.*** Illud *per quem* potest exponi

—1^o, ut perinde sit *per quem* et a quo. Nam aliqui non distinguunt ut Cajetanus¹⁷⁶, Adam, Basilius, etc sicut ad Gal 1 *se ait apostolum et legatum per Deum Patrem* (ubi inquit Chrisostomus quomodo dicat se per Iesum Christum accepisse Apostolatam cum per Spiritum Sanctum acceperit, et respondet optime).

—2^o. Illud *per* denotat plerumque id quod mediat inter primum auctorem et effectum, quasi dicat accepimus a Deo per Christum, et constat etiam si loquamur de Christo qua Deus est per ipsum tanquam per Dei sapientiam omnia esse condita et restaurata, et per ipsum tanquam per mediatorem confert nobis gratiam et per eius Humanitatem tanquam per instrumentum coniunctum. (*Per* plerumque dicit ministerium. Vide Martinez¹⁷⁷, l.8, c.10). Consideratis etiam Christi meritis dicimus *per eum accipere* ut ait Caterinus, sicut hispane dicimus recibo esto por fulano, es decir, a su cuenta, en su nombre, etc. Y lo mismo es decir que él lo recibe en mí o que yo lo recibo por él. Ad Eph 4 *dedit dona hominibus*, ex Ps 67 [19] *accepisti dona in hominibus*. Sed idem est.

Praeterea quando Paulus ait se esse Apostolum per Christum, explicat Cyrillus eo modo quo praelati dicuntur vices Dei gerere. Sic nos dicimus que fulano es corregidor por el rey.

¹⁷⁵ IRENAEUS, *Contra haereses*, l.3, c.6. PG 7,860.

¹⁷⁶ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,5*. Opera, t.5, Lugduni 1639, p.2.

¹⁷⁷ MARTINUS MARTINI CANTAPETRENSIS, *Hypotyposeon*, l.8, c.10. Matriti 1771, p.264.

[f.137]

2. *Accepimus gratiam.* Adam, Vatablus et Titelmanus credunt Apostolum de se solo loqui in plurali. Naclantus et Cajetanus¹⁷⁸ aiunt Paulum loqui de se et de aliis Apostolis, et favet Ambrosius¹⁷⁹. Sed Augustinus¹⁸⁰, D. Thomas et Catarinus generatim accipiunt de omnibus fidelibus, eo quod omnes acceperint gratiam, qui gratiam et apostolatam, qui apostolatam. Sicut dicitur Deus *omnibus dare velle et perficere.*

Gratiam. De gratia gratum faciente intelligunt Augustinus¹⁸¹, D. Thomas¹⁸², Ambrosius¹⁸³, Cajetanus¹⁸⁴ et Vatablus. Praeterea videri potest Paulum *gratiam* opponere *legi*, ut c.5 *per quem accessum habemus ad gratiam istam.* Quod si de Apostolis sermo sit ipsi acceperunt gratiam Evangelii ut per eos postea derivaretur ad omnes fideles. Vide Naclantum.

Alii per *gratiam* intelligunt eam mensuram donorum spiritualium quae apostolatus muneri conveniens erat ut gratia et apostolatus sint vires et onus. Vide ad Eph 4[7] *unicuique secundum mensuram.* Comprehendit haec gratia vires ad laborandum, de quibus Origenes hic, et gratiam miraculorum, de qua Ambrosius¹⁸⁵, et primitias spiritus, de quibus postea c.8. (Construe gratiam ad oboediendum fidei).

Aliter Adam ex Chrysostomo de gratia apostolatus. Facit id 1Cor 15[9] *non sum dignus vocari apostolus, sed gratia Dei sum id quod sum,* et quomodocumque sit gratiae nomen excludit merita et includit grati animi memoriam, ut notant Chrysostomus¹⁸⁶, D. Thomas¹⁸⁷ et Augustinus¹⁸⁸.

3. *Et apostolatam.* Retinendam fuisse hanc vocem quamvis non sit latina, bene hic Sotus et Caterinus. Sed dices cur non vertamus *legationem* ut 2Cor 5,20 et ad Eph 6,20. Respondeo non esse ibi nomen apostolatus sed verbum *προσβέβειν* quod significat legatione fungi. Ubicumque est *αποστολη* retinetur et declinatur per 4^{am}, sicut ab episcopo episcopatus, quia haec nomina et

¹⁷⁸ THOMAS A VIO CAIETANUS, *In Ep ad Rom 1,5.* Opera t.5, Lugduni 1639, p.2.

¹⁷⁹ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,5.* PL 17,52.

¹⁸⁰ AUGUSTINUS, *In ep ad Rom inchoata expos.* PL 35,2092.

¹⁸¹ AUGUSTINUS, *In epist ad Rom inchoata expos.* PL 35,2093.

¹⁸² THOMAS A.Q., *In Ep ad Rom lectio IV.* Ed Vivès t.20, 389.

¹⁸³ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,5.* PL 17,52.

¹⁸⁴ THOMAS A VIO CAIETANUS, *In Ep ad Rom 1,5.* Opera t.5, Lugduni 1639, p.2.

¹⁸⁵ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,5.* PL 17,52.

¹⁸⁶ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1.* PG 60,398.

¹⁸⁷ THOMAS A.Q., *In Ep ad Rom lectio IV.* Ed Vivès t.20, p.389.

¹⁸⁸ AUGUSTINUS, *In ep ad Rom inchoata expos.* PL 35,2093.

diaconatus, clericatus, etc ex accommodatione plus significant quam sonant. Et non solum significant functionem, ut male Erasmus¹⁸⁹, sed etiam dignitatem ut late Adam ex Ps 108. Vide D. Thoma de potestate et dignitate apostolatus.

Perpende filum orationis ex D. Thoma. Dixerat summam ea quae de Christo docet Evangelium; optime ergo subiicit fructum et utilitatem quae ab hoc imperatore ad suos dimanant.

4. **Ad obediendum fidei.** Graece in obedientiam fidei. Utrovis tamen modo videtur duriusculus nexus. Sensus est gratiam et apostolatum data fuisse ut obediatur fidei in omnibus gentibus; in quo duo significat, alterum quid esset eis procurandum, et alterum quam feliciter res succederet dándoles Dios por Cristo mano para la mayor hazaña del mundo. (Nota pro officio concionatoris).

Sed quid importat haec obedientia. Quidam explicant de ipso actu credendi, et Soto bene explicat cur christiana fides sibi vindicet obedientiae nomen. Et facit quod in Sacra Scriptura saepe confunduntur *credere* et *obedire*, et Apostoli dicuntur *captivare omnem intellectum in obsequium fidei* 2Cor 10[5]. Dico tamen non esse idem obedire fidei et obedire per fidem, y la hazaña de los Apóstoles no solo era rendir a los hombres a que creyesen, sino a que recibiesen la fe para regirse por ella. Vide Solis 1p, c.23.

5 **in omnibus gentibus.** Significat universalem Apostolorum iurisdictionem et efficaciam ut obediretur fidei in omnibus gentibus. Forsam etiam loquitur de que recibieron el apostolado para discurrir y predicar por todo el mundo. In quo sensu cohaeret optime quod sequitur *pro nomine eius*, [f.137v] nam de similibus peregrinationibus loquitur Joannes epist.3 et ait *pro nomine Dei profecti sunt peregrini, nihil accipientes a gentibus*. (Nota para las misiones de los de la Compañía).

6. **Pro nomine eius.** Quidam coniungunt *fidei pro nomine eius*, id est fidei de nomine vel super nomine Christi, ut materia fidei designetur, in quo sensu Sotus et Erasmus¹⁹⁰ optarent legere fidei super nomine eius, aiunt enim ὑπὲρ non solum significare *pro* sed etiam *de* vel *super*. Verum haec acceptio non videtur reperiri in Novo Testamento neque cohaeret cum lectione vulgata.

Ambrosius¹⁹¹ et D. Thomas¹⁹² et Primasius¹⁹³ exponunt apostolatum pro nomine Christi, id est, vice Christi, sed durissime.

¹⁸⁹ ERASMUS R., *ad Rom 1*. Opera omnia, t.6, Lugduni 1705, col.558.

¹⁹⁰ ERASMUS R., *ad Rom 1*. Op.omnia, t.6. Lugduni 1705, col.558.

¹⁹¹ AMBROSIVS, *Comment in Ep ad Rom 1*, 5. PL 17,53.

¹⁹² THOMAS AQ., *in Ep ad Rom lectio IV*. Ed Vivès t.20, p.389.

¹⁹³ PRIMASIVS, *In Ep ad Rom*. PL 68,417.

Multo aptius est *pro nomine eius*, id est por gloria de Cristo, no como fin de la fe sino como fin de su predicación y de sus misiones. Et hoc est quod Augustinus ait *pro nomine eius*, id est, ut omnes credant in Christum. Vide supra n° 5, fine. Et idem ait Theophylactus¹⁹⁴ *pro nomine eius*, id est, pro gloria eius divulganda. Vide Act 9[15] *ut portet nomen meum coram gentibus*. Et facit hic Interlinealis.

7. ***In quibus estis et vos***, id est, inter quos. Admonet eos beneficii, gratulatur conversionem et reddit rationem cur ad eos scribat quos numquam viderat. Oecumenius¹⁹⁵ et Theophylactus¹⁹⁶ et Chrysostomus¹⁹⁷ notant que no dice que ellos son los principales porque no se engriesen.

8. ***Vocati Iesu Christi***. No supo Cajetano¹⁹⁸ que es elegante frase griega. Graeci enim invitati ab aliquo, dicuntur recte κλητοὶ αὐτοῦ. Sensus ergo est que los cristianos son convidados de Jesucristo. Facit parabola de invitatis Mt 22, Lc 14.

9. ***Omnibus qui sunt Romae***. Poterat etiam ex graeco verti omnibus qui estis Romae sed cum sensus sit idem noster sequutus est morem latinorum qui inscribunt v.g. *Cicero Lentulo* et deinde in 2^a persona *si vales bene est*. Quid sit esse Romae Martinez¹⁹⁹ l. 10, Reg 38).

10. ***Dilectis Dei, vocatis sanctis***, quasi diceret omnibus qui sunt Romae, non omnibus simpliciter sed dilectis Dei etc. Phrasis latina erat dilectis Deo, sed positum est *Dei* ex graeco, quia ἀγαπητος non est participium sed nomen et maiorem dicit affectum quam amicus. Ut ad Colos 4 *salutat vos Lucas medicus carissimus*. Ergo dilectis Dei, a los carisimos de Dios. Vide Mt 3 *hic est Filius meus dilectus* (los primitivos eran los carisimos vel in communi Ecclesia).

11. ***Vocatis sanctis***. Effectus dilectionis est vocari ad sanctitatem seu Dei vocatione sanctificari. Sic enim omnes interpretantur, ut supra *vocatus apostolus*.

Lectio 10

Gratia vobis et pax etc

¹⁹⁴ THEOPHYLACTUS, *Expos in Ep ad Rom, l, 5*. PG 124342

¹⁹⁵ OECUMENIUS, *Comment in Ep ad Rom, c.1, 6*. PG 118, p.327.

¹⁹⁶ THEOPHYLACTUS, *Expos in Ep ad Rom, l, 1*. PG 124,343.

¹⁹⁷ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil. 1*. PG 60,399.

¹⁹⁸ THOMA A VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom l, 7*. Lugduni 1639, t.5, p.3.

¹⁹⁹ MARTINUS MARTINI CANTAPETRENSIS, *Hypotyposeon regula 38*. Matriti 1771, p.289.

1. Nota ex Hieronymo et Jansenio²⁰⁰ Mt 9 in salutatione latinos scribere *salutem* graecos εὐπρόσπειν id est bene agere, hebraeos pacem. Sed dices quorsum dicunt pacem? Respondeo: pax primo opponitur bello et dissensionem, et deinde per analogiam opponitur cuiusvis miseriae propter summum dissensionis malum, o porque cualquier mal nos hace guerra e inquieta. Et quidem in primo sensu potest esse pax alicui vel cum hominibus vel cum Deo vel secum in ipso animi statu. In 2° vero sensu idem est optare pacem et optare bona [f.138] sicut idem est *evangelizantium pacem* et *evangelizantium bona*.

Estímase en tanto la paz, que a la vida llaman paz 2Reg 18[32] *estne pax puero Absalon?*, id est escapó con la vida. Et facit nostra phrasis sacar a uno a paz y a salvo. Vide Job 9,4 *quis restitit ei et pacem habuit*, id est evasit impune.

Generatim *pacis* nomine prosperitas intelligitur 1Reg 25,6; 3Reg 2,33; et in hoc sensu accipiebatur in salutatione communi. Praecari ergo pacem est praecari omnia laeta, tranquilla etc. Salutatio ergo hebraeorum comprahendit latinam et graecam. Vide 1 Reg 17 *visitabis fratres tuos si recte agant. Visitabis in pace*, quasi diceret visitarlos has de mi parte y sabrás cómo les va de salud y prosperidad y de todo. (Visitabis diciendo pax vobis).

2. Nota Christum, Lc 10, discipulis praecepisse ut usurparent communem salutationem et ipse etiam usurpabat, sed altiori sensu. Nam Jn 14[27] ait *pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat* etc. Et similiter distinguit pacem apostolorum a communi salutatione, Mt 9 *si digni fuerint pace vestra*. Volentes ergo Apostoli explicare sensum dominicae salutationis quibusdam additis dixerunt *gratia vobis et pax a Deo Patre* etc. sic enim non solum Paulus sed Petrus etiam, Joannes et Judas.

3. Primus sensus et valde germanus est ut idem valeat gratia et pax, ac si solum dicerent *Pax Christi*, optando fidelibus et offerendo eam pacem quam Christus attulit, id est ut *sedeant in pulchritudine pacis*, Is 32 [18], id est ut possideant quicquid optimum est in pace in utroque sensu, scilicet in reconciliatione cum Deo, concordia cum hominibus et tranquillum animi statum, denique quicquid de plenitudine Christi, etc. Iuxta haec, nomen gratiae et pacis in eodem fere sensu accipiunt Ambrosius²⁰¹, Augustinus²⁰², Origenes²⁰³,

²⁰⁰ JANSENIUS, *In Concordiam*, c.55. Lugduni 1580, 421a.

²⁰¹ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,7*. PL 17,53.

²⁰² AUGUSTINUS, *In ep ad Rom inchoata expos*. PL 35,2093.

²⁰³ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*. PG 14,855.

Chrysostomus²⁰⁴, Beda, Interlinealis, et certe idem est pax evangelica et gratia evangelica, neque contra sentiunt qui dicunt gratiam esse priorem et quasi radicem pacis, ut Theophylactus²⁰⁵ hic et Hieronymus²⁰⁶ ad Gal 1[3], quia solum volunt in ipsa gratia prius considerari gratuitam remissionem peccatorum ex Dei benevolentia, et deinde reliqua bona quae nomine pacis explicantur. Eodem spectat si explices *gratia et pax*, id est pax gratuita in eo sensu in quo angeli cecinere *pax hominibus bonae voluntatis*, pax εὐδοκία ut nosti, pax illa quae appositively dicitur divinum beneficium. Sicut pax et gratia sunt idem quod pax gratiae Dei seu misericordiae et charitatis Dei, quod additur in aliis epistolis. Ps 5 [13] *Domine scuto bonae voluntatis* etc.

4. Adam notat docte contra Luterum non dici gratia Dei sed *gratia a Deo*, ut non solum intelligatur de divina benevolentia sed etiam de ea quae in iustis est gratia.

5. Sed dices quomodo christianis et dilectis Dei optat gratiam? quia iam erant in gratia. Respondeo ex divo Petro intelligendum esse verbum *multiplacetur* vel *impleatur*; ut etiam in graeco, vel como dicen *Dominus tecum*, que siempre sea contigo.

Hactenus sequuti sumus legitimum sensum huius salutationis quam benedictionem appellat Origenes²⁰⁷ y dice que es una bendición que nos echa S. Pablo mejor y más copiosa que la de los Patriarcas.

6. Sed afferamus quatuor alias explicationes. — 1^a est Hieremiae 32 super id Hanameel filius Sellum qui ordine converso videtur interpretari, ait enim mereamur ergo pacem Dei et post pacem nobis gratia nascetur. Facit enim gratiam filiam pacis, quod accipit Grandis [f.138v] in eo sensu quo dicitur 2Cor 13[11] *pacem habete et Deus pacis erit vobiscum*, et Mt 5[24] *vade prius reconciliari fratri tuo*. Sed non cohaeret explicatio cum ordine salutationis Pauli.

7. — 2^{us} sensus est Cajetani²⁰⁸ qui per gratiam intelligit iustificantem, et per pacem illam mentis tranquillitatem et in Deo fiduciam quam iustis optat Paulus c.5 ex Is 32[17], et idem fere est per pacem intelligere magnam prosperitatem et augmentum gratiae. Sic fere Basilius Ps 8, ubi ait pacem esse ultimam benedictionum qua homo mores suas ab omni prorsus perturbatione

²⁰⁴ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1*. PG 60,399.

²⁰⁵ THEOPHYLACTUS, *Expos in Ev Jn, 1*. PG 124,343.

²⁰⁶ HIERONYMUS, *ad Gal 1*. PL 29,811.

²⁰⁷ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*. PG 15,853.

²⁰⁸ THOMAS DE VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,7*. Opera, t.5, Lugduni 1639, p.3.

sedavit. Hoc est quod Hieronymus ait , ad Ephes ultimo [6,23], *pax est serenitas quaedam atque tranquillitas animae quiescentis, universam tempestatem et turbinem passionis fugans*²⁰⁹. Haec pax ponitur inter fructus Spiritus, ad Gal 5[22]. Et ad Phil 4[7] dicitur quod *exsuperat omnem sensum*. Dicitur etiam communiter esse excellentissima gratiarum. Sed verisimilius est pacem ab Apostolis in salutatione accipi eo modo quo a Christo et angelis qui plenius acceperunt. Ut supra patet.

8. —3^{us} sensus D. Thomae²¹⁰, Lyrae et aliorum qui exponunt *gratia et pax*, id est gratia et gloria sed manifeste D. Paulus loquitur de pace in hac vita.

9. —4^o, quidam interpretaantur de duplici prosperitate spirituali et temporalis.

10. ***A Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.*** Cajetanus²¹¹ videtur legisse a Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo, sed nec ipse probat eam lectionem neque ullus ita legit. Aliqui tamen observant ex graeco potuisse verti *a Deo Patre nostro et Domini Jesu Christi*. Sic habet lectio Theophylacti²¹², et eam lectionem ait esse praestantiorum in arcanis Naclantus ad Eph. — Dico 1^o, veteres omnes sequutos fuisse eum sensum quem habet nostra versio, ut Dydimus, quem adducit Erasmus²¹³, Cyrillus in Thesauro²¹⁴ l.12, c.1, Chrysostomus²¹⁵, Oecumenius²¹⁶, Theodoretus²¹⁷, Hieronymus in Origene²¹⁸, Ambrosius²¹⁹, Augustinus²²⁰. Imo suspicor Theophylactum esse mendosum. — Dico 2^o, eos omnes auctores videri manifesta ratione coactos, quia ad significandum patrem communem non erat ordine praepostero dicendum a Deo Patre nostro et Iesu Christi, sed e converso. Et confirmatur quia salutio Joannis in 2^a canonica nulla ratione permittit eum sensum neque in graeco, etc. — Dico 3^o, in nostra lectione contineri quicquid arcanum posset in altera excogitari quia dum Deus appellatur Pater noster, manifeste indicatur nos habere Patrem communem cum Christo.

²⁰⁹ HIERONYMUS, *Comment in ep ad Ephes 6*. PL 26,588.

²¹⁰ THOMAS A Q., *In Ep ad Rom c.1, lectio IV*. Ed Vivès 20, p.391.

²¹¹ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,7*. Opera t.5. Lugduni 1639, p.3.

²¹² THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ep ad Rom 1 [καὶ κυρίου...]*. PG 124,344.

²¹³ ERASMUS R., *ad Rom 1*. Op.omnia, t.6, Lugduni 1705, col.559.

²¹⁴ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Thesaurus, assertio 32*. PG 75,454.

²¹⁵ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1*. PG 60,399

²¹⁶ OECUMENIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,7*. PG 118,326.

²¹⁷ THEODORETUS, *Interpr Ep ad Rom 1,7*. PG 82,54.

²¹⁸ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*. PG 14,853

²¹⁹ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,7*. PL 17,53.

²²⁰ AUGUSTINUS, *In ep ad Rom inchoata expos.* PL 35,2093.

11. In nostra lectione nota Naclantum per Deum intelligere Deum Tri-num et Unum quasi optet Apostolus gratiam a Deo qua Deus est et a Christo qua Homo est. Verum simplicius est per Deum intelligere Patrem, — quia ea est consuetudo Pauli cum Deum et Christum coniungit, ut patet supra lectione 2, n.6. (Scimus D. Thoma²²¹ in ad Rom dicere probabile utrumque). — 2°, quia ex hoc loco Patres colligunt aequalitatem Christi cum Deo Patre, cum aequaliter ab utroque postuletur gratia. Ita Chrysostomus²²² et Theodoretus. — 3°, consonat locus ille Joannis *ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*, etc. Cur autem Patri approprietur saepius nomen Dei, et Christo nomen Domini vidimus supra Lectione 2.

[f.139]

12. Sed rogabis cur peculiariter Pater Aeternus inter divinas Personas appelletur Pater noster. Respondeo, quia est Pater Iesuchristi ... iustus inde habet esse filium Dei quia unitur cum Christo et fit quodammodo unum cum illo, et ita dicitur *genitus in Christo* 2Cor 4[15], et *genitus in Verbo veritatis* Jac 1[18] et *renatus per Verbum Dei* 1Pt 1[23], deiformis seu *consors divinae naturae*, ibidem [2Pt 1,4]. Et facit illud de *palmite in vite* Jn 15[5]. Este unir Cristo con efecto a un hombre consigo por gracia hace que el Padre Eterno mire en él a Cristo y le tenga por Hijo.

13. Dubitatur cur postulet Paulus pacem et gratiam a Patre et Filio et non a Spiritu Sancto. Respondeo — 1°, ex Augustino²²³ et Ambrosio, in ipso nexu duarum Personarum intelligi tertiam. Respondeo — 2°, quod postulare Gratiam est postulare Spiritum Sanctum qui peculiariter dicitur per gratiam inhabitare in iustis, et quia postulatur missio Spiritus Sancti, ideo non postulat nisi a Patre et Filio.

Utrumque sit implicite fit mentio totius Trinitatis, et explicite erat iam facta in illis verbis *praedestinatus Filius Dei secundum Spiritum Sanctificationis*. Vel dic nolle Apostolum misterium Trinitatis hic docere.

14. Considera *gratiam et pacem* postulari ab eo qui dare potest, et additur *Patre* ad erigendam spem. Quid enim non dabit Pater iis qui sunt unum cum Christo. Addit quod ipse etiam Christus aequaliter dare potest quia ipse est Dominus gratiae et pacis, quare confidenter possumus postulare.

Paraphrasis seu potius constructio salutationis

²²¹ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom, c.1, lectio IV*. Ed Vivès t.20, p.391.

²²² J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1*. PG 60,400.

²²³ AUGUSTINUS, *In ep ad Rom inchoata expos*. PL 35,2095.

Paulus christianis qui Romae sunt Deo carissimis et ad sanctitatem vocatis, Spiritus Sancti gratiam et pacem precatur a Deo Patre qui fidelium est Pater et a Iesu Christo Domino. Ego quidem, servus Iesu Christi sum, vocatus in Apostolum et selectus ad praedicandum felicissimum nuntium Dei Patris, quod ipse multo ante praenuntiaverat de Filio suo. Nuncius autem hic est Filium Dei incarnatum esse ex genere David, et eum Hominem divino decreto post mortem resurrexisse in maiestate. Quapropter, secundum carnis originem ex temporali nativitate qua ortus est nostrarum miseriarum particeps, ex ea habet quod sit ille filius David promissus et a nostris patribus expectatus; et postea secundum suae sanctitatis excellentiam ex resurrectione habet ut qui antea erat Filius Dei per unionem personalem (sed dissimulata maiestate) sit iam Filius Dei in maxima virtute et maiestate sedendo ad dexteram Patris tanquam omnium angelorum et hominum imperator universalissimus et nobis felicissimus. Per hunc ergo Christum accepimus (qui Apostoli sumus) gratiam et apostolatam ad promovendam mirabiliter oboedientiam fidei, perambulando et peregrinando inter omnes gentes pro ipsius Christi gloria: et quia quamvis ad vos ego non accesserim, iam tamen estis (o romani) a Christo invitati per aliorum ministerium opere pretium existimari his litteris vos convenire.

[f.139v]

Ordo tractandi locum illum

qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum eundem Spiritum ex Resurrectione mortuorum Iesu Christi

1. Loci difficultas perpenditur 1^o, ex Chrysostomo²²⁴. 2^o, ex peregrina connexionione. 3^o, ex diversis interpretationibus

2. Facessit ipsa lectio: —1^o enim occurrit quaestio in voce *praedestinatus* partim cum Hieronymo et partim cum graecis. —2^o, non desunt qui ordinem invertant, et saltem tribuunt Origeni²²⁵ et Hieronymo. —3^o, facessit illa dictio *Iesu Christi*, quia quidam in alio casu vertunt.

3. In interpretatione ad quid fuerit Christus praedestinatus sunt 7 opinioniones: —1^a, ad gloriam. —2^a, ad incarnationem. —3^a, ad iudicium. —4^a, ad sanctificandum. —5^a, ut esset sanctus. —6^a, ad resurrectionem. —7^a, ad declarationem.

²²⁴ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 1*. PG 60,397.

²²⁵ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*. PG 14,849.

4. Deinde in singulis verbis sunt diversissimae explicationes: de *in virtute* hay 5 declaraciones. *Secundum Spiritum*, 4 declaraciones. *Ex Resurrectione*, 2 conexiones con cada 3 declaraciones.

5. Facessit *to mortuorum* qui videbatur legendum *ex mortuis*.

Optanda in explicatione:

—1º, ut nihil addatur textui neque invertatur ordo.

—2º, ut explicetur iuxta phrases Sacrae Scripturae receptas et aliis locis conformes.

—3º, ut non eodem modo explicentur quae diversa phrasi dicuntur.

—4º, ut servetur antithesis, ut nos servamus.

—5º, ut explicatio suaviter complectatur quicquid in aliis explicationibus est illustre.

Explico igitur divino decreto constitutum esse ut Christus qui antea erat Filius Dei per unionem et gratiam et gloriam, *ex Resurrectione* propter suam insignem sanctitatem oriretur Filius Dei *in maiestate* cuiusdam universalissimi imperii, nobisque felicissimi. — Perpende quomodo haec explicatio complectitur omnes. Et singillatim expende quam apte explicentur singula verba et quam apta sit in singulis antithesis.

[f.141]

Lectio 1ª. Post salutationem

1. **Primum quidem gratias ago** etc. In salutatione potissimum conciliavit sibi fidem et auctoritatem; nunc in exordio epistolae conciliat benevolentiam, dum eos primum laudat ut postea commodius moneat. Sed ita laudat ut laudem omnino ad Deum referat. (De huius laudis artificio Chrysostomus²²⁶ 1 ad Cor 14, homil.37). Et propterea incipit a gratiarum actione pro fide romanorum, in quo etiam intendit ut per eam gratiarum actionem Deus provehat eam fidem. Vide quomodo D. Thomas²²⁷ hic utatur illis verbis Eccle 1[7] *ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant*, quae est iocunda accommodatio. (Vide postea n.7 et 8).

2. **Primum.** Ea est Origenis²²⁸ diligentia ut excutiat cum Paulus dicat

²²⁶ CHRYSOSTOMUS, *Epist 1 ad Cor homil 37*. PG 61,317.

²²⁷ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom lectio V*. Ed Vivès t.20, p.391.

²²⁸ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*. PG 14,855.

primum quid sit *secundum*; verum plerique notant in exordio cuiusvis argumenti non absurde dici primum etsi nihil proprie respondeat tanquam secundum, quasi diceret principio de carta. Vel sensus est antequam ad epistolae materiam perveniatur, ut Cajetanus²²⁹ explicat quasi diceret ante todas cosas. Livius: *iam primum omnium satis constat* etc.

3. **Quidem.** Graece μὲν non est hic affirmantis, non enim apte cadit affirmatio (si no es para mostrar que las da de corazón, ut si dicas cierto que yo doy gracias a Dios etc). potius videtur esse distinguentis eo modo quo dicitur ego quidem loquor, tu vero audis. Atque ita dubitat Origenes an Paulus voluerit ita distinguere ut gratiarum actio sit in primo loco et in secundo sui desiderii manifestatio, cum subdit *nolo vos ignorare*, quasi diceret ego quidem gratias ago, vos autem velim ut intelligatis, etc. pero viene tarde el *nolo autem vos*. Quare fortasse illud *quidem* non habet hic aliam vim nisi continuare salutationi exordium, in quo sensu idem valeret, itaque vel igitur, quasi diceret primeramente pues. Et sic saepe accipitur dictio graeca ut patet in Thesaurio. Vide postea n.8.

4. **Deo meo.** Primum Deus accipitur ut supra in salutatione dum ait *a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo*. Deinde pronomen quod addit existimat Ambrosius²³⁰ ideo additum ut innueret nondum omnino Deum romanorum Deum fuisse cum haec scriberet Paulus. Quasi diceret Deum appello meum non vestrum quia nondum plane eum colitis. Verum si id vellet Apostolus non appellasset romanos dilectos Dei neque nunc laudaret eorum fidem. Praeterea non dixit Deum suum per distinctionem ab idolis quae falso appellabantur dii, ut significaret cui gratias ageret (in eo sensu in quo dicitur Deus Eliae) quia satis constabat cui Deo gratias ageret.

5. Sed potius Deum appellat *suum* alzándose con Dios en cierta manera ex magno affectu ut notat Chrysostomus²³¹, non quod Deus non sit etiam aliorum, sed quod ille qui flagrantissimo ardet affectu erga Deum sic erga eum se gerit ac si ipsi solum esset Deus. Et facit illud Cant *dilectus meus mihi et ego illi* [2,16]. Item illud *qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me* [Gal 2,20]. Et consonat ratio quia rex ita est reipublicae ut non sit totus cuilibet, Deus vero ita est omnium ut sit singulis totus, maxime vero iustis, tam per curam et providentiam quam Dei nomen importat, ut patet Ps [13,1], (ubi dum *insipiens ait non est Deus*, non tam negat divinitatem quam providentiam) quam per possessionem et praemium. Ut patet Gn 5[15,1] *ego sum merces tua magna nimis*. Y conforme a esta obligación toma también el justo

²²⁹ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,8*. Opera 7.5. Lugduni 1639, p.3.

²³⁰ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,8*. PL 17,54.

²³¹ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 2*. PG 60,401.

a Dios por Dios suyo, como si no fuera Dios de otro, sirviéndole no a medias sino in omnibus et per omnia, como si Dios no tuviera otro que le sirviera, y no queriendo otro ningún bien para sí iuxta illud *Deus meus et omnia*, (antes caetera *omnia reputat ut stercora*) et sic dicitur in Sacra Scriptura *Deus cuius* id cui ille omnino servit, ut late explicat Origenes²³².

6. Praeterea in eo quod Deum appellat *suum* videtur se beatum praedicare iuxta illud *beatus populus cuius Dominus Deus eius* [Ps 143,15], scilicet quod Dei gratia despiciat terrena et appetat coelestia, iuxta id ad Hebr 11,16 *ideo non confunditur vocari Deus eorum quia coelestem appetunt patriam*; vel quod singulari aliquo beneficio cumulatus a Deo, iuxta illud Mosis in Cantico [Ex 15,2] *iste Deus meus et glorificabo eum*. Quod si Moses quia erat praelatus liberationem populi existimat esse beneficium collatum in se et propterea Deum appellat *suum*; Paulus etiam de fide romanorum Deo gratias agit et propter illam fortasse ipse etiam Deum appellat *suum*, ut ait Claudius.

[f.141v]

7. *Per Iesum Christum*. Catarinus existimat posse construi sic: *Deo meo per Iesum Christum*, quasi diceret per Iesum Christum nos habere ut Deus sit noster Deus. Verum communior constructio est gratias ago per Iesum Christum. Sed sicut est planum quomodo per Iesum Christum aliquid petamus, ita videtur difficile quomodo per Iesum Christum gratias agamus de aliquo beneficio. Quare Ambrosius²³³ videtur explicare quasi diceret per Iesum Christum accepi ut gratias agerem sicut supra *per quem accepimus*. Adamus, *per Iesum Christum*, scilicet propter Iesum Christum, quasi diceret por lo que Dios ha obrado en vosotros por los merecimientos de Jesucristo. Sed in utraque expositione est durior nexus. Quare multo plures sequuntur Origenem²³⁴, scilicet D. Thomas²³⁵, Cajetanus²³⁶, Claudius, etc, qui ex epistola ad Hebraeos considerant pontificem esse mediatorem inter Deum et homines, como el procurador o abogado inter iudicem et reum y como todos los autos para ir acertados han de pasar por mano de abogado y él los ha de presentar, ita etiam omnis nostra oratio vel gratiarum actio erit multo aptior si fiat per Christum, id est si ad Christum accedamus ut ille pro nobis afferat. Haec expositio est pulcherrima, iuxta quam Paulus suo exemplo docet nos aptissimam et fructuosissimam rationem conveniendi Deum. Et consonat

²³² ORIGENES, *ad Rom 1*. Pg 14,854.

²³³ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,7*. PL 17,54.

²³⁴ ORIGENES, *ad Rom 1*. PG 14,854.

²³⁵ THOMAS AQ., *n Ep ad Rom lectio V*. Ed Vivès t.5, p.392.

²³⁶ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In Ep ad Rom 1,8*. Opera t.5, Lugduni 1639, p.3.

tota epistola ad Hebraeos et illud etiam Joannis *si quis peccaverit advocatum habemus*, quasi diceret acudamos a Él, que meta una petición etc. Adde quod gratias agere est offerre sacrificium laudis, ex communi phrasi Sacrae Scripturae, atqui sacrificium per pontificem debet offerri. Et facit graeca lectio in qua gratias agere est εὐχαριάζειν quod non esset accommodatum ad sacrificium Eucharistiae si antea non soleret usurpari in sacrificio gratulatorio.

8. Fortasse etiam (quanvis in nemine reperio) significat Apostolus se solitum offerre Sacrificium Eucharistiae in gratiarum actionem pro fide romanorum, nam idem verbum in eodem sensu interpretantur aliqui in Eucharistiae institutione, et consonat ipsum Eucharistiae nomen. Et tunc *per Iesum Christum* designabit Hostiam quae offertur, sicut ad Hebr 9[12], quando ait *per sanguinem hircorum* et *per propium Sanguinem*. Praeterea credibile est Apostolum eo modo gratias egisse Deo sacrificando, et planus loquendi modus est sacrificare per Christum vel offerendo Christum, et tunc aptissime erit affirmantis illa particula *quidem* (de qua supra n.3) quae alioqui non videtur satis quadrare. Optime enim cadit si dicas lo primero, cierto que yo suelo dar gracias a Dios ofreciéndole en sacrificio a su Hijo bendito en acción de gracias por la mediación, etc.

(Facit Basilius De Spiritu Sancto c.8. Vide id ad Eph 5[20] *gratias agentes semper pro omnibus in nomine Iesu Christi Deo et Patri*. Et melius ad Hebr 13[15] ubi postquam dixerat sacrificium fieri per pontificem subdit *per ipsum ergo Christum offeramus Hostiam laudis semper Deo*, id est fructum laborum confitentium nomini eius. εὐχαριστω. En el Prefatio *gratias agere per Christum*. Et in Canone vide illud *per manus Sancti Angeli tui*, id est per Christum). (Si sacrificium gratulatorium de bono nuncio appellatur evangelium ut supra diximus, congruit quod Paulus sacrificet ὅτι καταγγέλλεται etc).

9. ***Per Iesum Christum***. Martinez²³⁷, l.8 Hypotyposeon c.10 explicat ut sint verba iurantis, et adducit Augustinum et alia loca Sacrae Scripturae, sed non placet, quia si sermo est de simplici gratiarum actione quam praestat per eadem verba, non solum iuramentum sed etiam quaevis affirmatio cadit inepte. Vide n.3. Adde quod sequitur statim iuramentum.

10. ***Pro omnibus vobis***. Scilicet, porque sois tales que *fides vestra annuntiat in toto mundo*. Et hoc modo illud *pro* designat materiam pro qua agit gratias vel pro vobis vel vestro omnium nomine loco vestri, las gracias que vosotros debeis dar a Dios las doy yo de vuestra parte por la que yo tengo

²³⁷ MARTINUS MARTINI CANTAPETRENSIS, *Hypotyposeon*, l.8, c.10. Matriti 1771, p.265.

en la merced que Dios os hace. (Erasmus²³⁸ lee *super*, sed melius habet *pro*).

11. **Quia fides vestra annunciat** etc. *quia pro quod*. Quasi diceret quod ita apud vos fides creverit, ut annuncietur etc. itaque annuntiatio videtur poni pro signo ab effectu vel etiam agit gratias eo quod illa fama alios in fide confirmaret et ad eam provocaret. Porque rendida la principal fortaleza y fuerza de la idolatría, que era Roma, todas las demás se habían de ir rindiendo con mayor facilidad. (Chrysostomus, De verbis Apost, tom 3, f.100 8, c.1, explicat de fide cognitionis).

12. Porro *annunciari in universo mundo* graeci existimant hyperbolice dictum, et Erasmus²³⁹ carpit nostrum interpretaem quod rem exaggeraverit plus quam est in graeca lectione nam graece est *in toto mundo*. Sed Hieronymus in Origene transtulit etiam in universo; imo Origenes²⁴⁰ interpretationem extendit ad mundum coelestem ubi annuntiat et gaudent super *peccatore poenitentiam agente*. Solum dico et in simplici sensu aequaliter exaggerari si veritas in toto mundo, atque ita sermo hispanus non agnoscit illud discrimen, nam utroque modo hispane dixeris en todo el mundo in qua hyperbole significantur multae et variae orbis partes. (Vide multa similia circa hunc locum in Hypotyposeon²⁴¹). Vel fortasse accommodat se Apostolus romanorum phrasi qui sua dictione appellabant universum iuxta illud Lc 2 [1] *ut describeretur universus orbis* π σαν οικουμένεν. Aliter etiam exponit Origenes²⁴² sine hyperbole, scilicet gratias ago Deo quia iam vestra fides est illamet quae annunciat in universo mundo, quasi diceret porque creéis la fe [f.142] que se predica en todo el mundo, quod indicat discipulorum et praesertim Apostolorum diligentiam, quorum *in omnem terram exivit sonus* etc. Haec tamen expositio videtur coactor, et multo simplicius esset sine hyperbole interpretaem cum Caterino sic: fides vestra annunciat in universo, id est vase extendiendo la fama etc.

Lectio 2^a

Testis enim mihi est Deus etc

1. Dubitatur 1^o. An iuret Paulus cum ait **testis est mihi Deus**. Respondeo: sic existimat Augustinus²⁴³ l.1 de sermone Domini in monte. Quem hic sequi-

²³⁸ ERASMUS R., *ad Rom 1*. Op.omnia, t.6, Lugduni 1705, col.560.

²³⁹ ERASMUS R., *ad Rom 1*. Op.omnia, t.6. Lugduni 1705, col.559.

²⁴⁰ ORIGENES, *ad Rom 1*. PG 14,855.

²⁴¹ MARTINUS MARTINI CANTAPETRENSIS, *Hypotyposeon*, l.6, c.3. Matrity 1771, p.184.

²⁴² ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*. PG 14,855.

²⁴³ AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte*, l.1, c.17. PL 34,1255.

tur D. Thomas²⁴⁴ et plerique. Solum Caietanum²⁴⁵ reperio qui plane contra sentiat inter catholicos, non quod iuramentum non sit aliquando laudabile, de quo hic multi contra haereticos, sed quod graece non sit *testis mihi est Deus* sed testis mei vel testis meus. Sed hoc ridiculum est fundamentum, nam Chrysostomus²⁴⁶, Oecumenius²⁴⁷ et Theophylactus²⁴⁸ graece noverant et tamen explicant esse iuramentum, quare eadem est vis graecae loquutionis et latinae quamvis interpraes reddiderit *mihi* ut latinis auribus serviret. Melior esset Cajetani²⁴⁹ ratio si observaret eam loquutionem proculdubio esse ambigam *testis mihi est Deus* et simpliciter accipi posse tanquam ab eo dictam qui agnoscit Deum esse iudicem et testem, ut dicitur Hieremiae 9, et in eo etiam sensu habet vim confirmationis etsi non sit iuramentum. Ut si dicas Hablo como hombre que ve que tiene a Dios delante por testigo de sus obras vel como cristiano, que esto es así, etc. Nam aliud est testari se agnoscere Dei praesentiam, aliud Deum in testem vocare. Adde quod ex rigore sermonis *testis mihi est Deus* potius est assertio quam invocatio, neque satis est si contra obiicias ex usu constare quod sit iuramentum, nam usus docet quomodo nostri homines utantur, et non ostendit quomodo usus fuerit D. Paulus, praesertim cum non videatur adeo urgere eum necessitas ut iuret, cui simpliciter affirmanti crederetur; et non solum ille expendere deberet an liceret sed etiam quod magis deceret. At vix homo gravis et religiosus adhiberet iusiurandum ut alicui significaret se pro eo quotidie orare. Nihilominus in communi sententia responderi potest Apostolo fuisse visa rem magni momenti ut probaret romanis suam curam et sollicitudinem pro eis, et iuramento confirmasse quia revera videbatur incredibile quod non solum eos memoria perpetuo circumferret sed etiam in praecibus haberet sine intermissione quos neque noverat neque viderat, ex affectu proculdubio vehementissimo et pectore numquam satis laudato.

2. Origenes²⁵⁰ videtur aliter explicare *testis mihi est Deus*, id est per me testificatur eo quod ego sim illius testis, iuxta illud *qui me confessus fuerit confitebor et ego*. Sed nescio quam bene hic possit illud cohaerere.

3. Dubitatur 2^o, quid sibi velit illud verbum *servio*. Respondeo graece est λατρεύω. Et quamvis Valla conetur impugnare illud discrimen inter latrariam, duliarn, etc, eo quod neque in Sacra Scriptura semper observetur, tamen non

²⁴⁴ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom lectio V*. Ed Vivès t.20, p.392.

²⁴⁵ THOMAS A VIO CAIETANUS, *In Ep ad Rom 1,9*. Opera t.5, Lugduni 1639, p.3.

²⁴⁶ J. CHRYSOSTOMUS, *In Epist ad Rom homil 2*. PG 60,402.

²⁴⁷ OECUMENIUS, *Comment in Ep ad Rom 1,9*. PG 118,327.

²⁴⁸ THEOPHYLACTUS, *Expos in Ep ad Rom, 1*. PG 124,346.

²⁴⁹ THOMAS A VIO CAIETANUS, *In Ep ad Rom com. 1,9*. Lugduni, Opera t.5, 1539, p.3.

²⁵⁰ ORIGENES, *Coment in Ep ad Rom*. PG 14,855.

solum iure licuit theologis eas voces ita distinguere ut solent ad doctrinae commoditatem (ut fatetur etiam Erasmus²⁵¹) sed etiam in Sacra Scriptura fere ubique observatur ut latria sonet divinum cultum (et facit etimologia graeca) de quo hic late Adamus et alii. —2º, nota nostrum interpretaetm (in quo non semper exigenda est latinissima proprietates) saepe eam vocem explicasse nomine obsequii vel servitutis, ut est illud ad Rom 12[1] *rationabile obsequium vestrum* quasi diceret spirituales latriam et illud decalogi *Dominum Deum adorabis et illi soli servies*. Et notat Origenes²⁵² hic quod plus est servire quam adorare, scilicet quia adorare est quid communius et potest fieri sine illo affectu quem dicit latria. Igitur idem est *cui servio* et cui divinum cultum et venerationem tribuo. (Vide postea n.8)

4. Dubitatur 3º, quid sit *servire in spiritu*. Dico 1º, Illud *in* abundat hebraica phrasi, ut hic notant multi. Patet ad Phil 3[3] *qui spiritu servimus Deo* et hispanice etiam addimus praepositionem, dicimus enim andar en espíritu, servir con espíritu.

Deinde *colere* seu *servire spiritu* ut patet ex illo loco ad Phil 3, proculdubio ponitur cum implicita antithesi ad eum cultum quo communiter iudaei venerabantur Deum, et sic notant multi.

Sed oportet explicare quid intersit inter cultum et cultum [f.142v] ut Paulus dicatur *colere Deum in spiritu*, iudaei vero *in carne*, ut patet ad Phil 3.

5.—Respondeo 1º, non esse in eo discrimen quod Evangelium excludat cultum exteriorem qui carnalis appellatur, de quo hic late Grandis contra haereticos, quamvis verum sit christianum cultum non esse alligatum materialibus ceremoniis sed praecipue curam gerere de spirituali veneratione per virtutes theologicas et actus interiores, et id videtur respexisse Christus, In 4[24], ubi agit cum Samaritana *de adoratione in spiritu*, subdit enim *spiritus est Deus et eos qui adorant eum in spiritu oportet adorare*. Vide ibi Chrysostomum²⁵³ homil.32. Et facit quod hic Origenes²⁵⁴ docet spiritum esse superiorem animae portionem secundum illam distinctionem quam saepe ponit inter animam et spiritum.

6.—Respondeo 2º, potissimum discrimen optime intelligi ex receptissima spiritus acceptione, in qua spiritus ponitur pro interiori vita sive pro anima quae est vitae principium; externus ergo cultus si sit mere externus

²⁵¹ ERASMUS R., *ad Rom 1*. Op. Omnia, t.6, Lugduni 1705, col.560.

²⁵² ORIGENES, *Comment ib Ep ad Rom*. PG 14,855.

²⁵³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 33 (al 32)*. PG 59, 190.

²⁵⁴ ORIGENES, *Comment in Ep ad Rom*. PG 14,856.

dicitur esse sine spiritu, id est sine vita, mortuus, fictus et hypocriticus, porque es una máscara sin verdad, et huiusmodi erat cultus iudeorum, et in hoc est similis cultus aliquorum christianorum. Sicut ergo inspirante Deo factus est homo luteus in animam viventem. Gn 1, sic etiam insufflante Jesu, Jn 20[22], accipit homo carnalis spiritum sanctificantem, et cultus carnalis spiritum et veritatem, Jn 4, que el hombre vivo es hombre verdadero y el que no, no. Haec vita sive spiritus in Dei obsequio est illa quam requirit Apostolus postea c.12 *hostiam viventem*, et subdit optime *sanctam, Deo placentem*, quia solus cultus vivus est vere sanctus et placens Deo, nimirum quia est *rationabile obsequium*, id est spiritualis latria, ut supra. Esta vida y espíritu consiste en que vaya el servicio y culto exterior acompañado y animado con el interior *corde magno et animo volenti* 2Macab 1[3]. Et iudaei qui eo modo colebant Deum, ad legem Evangelii pertinebant ex D. Thoma²⁵⁵ 1 2, q. 107, a.1, nam iudaicus cultus eorum est qui ad exteriora solum respiciunt. (Igitur servire spiritu est vivum cultum exhibere, servire ex animo. Decis acá este es su espíritu, modo de proceder etc. *Nescitis cuius spiritus estis*).

7. Dubitatur 4^o, quam vim habeat illud pronomen in spiritu *meo*. Naclantus intelligit sic: *in spiritu meo* id est iuxta mensuram et formam spiritus mihi datam, sicut dicitur *spiritus Eliae*. Sed magis consonat ut appellet spiritum suum superiorem animi sui portionem, de qua Origenes, cuius exercitium in serviendo Deo est veluti anima et vita cultus exterioris. Et fortasse affectuosius est *in spiritu meo* quam si solum dixisset *in spiritu*.

8. Dubitatur 5^o, quid sit illud *in Evangelio Filii eius*. Respondeo Evangelium dicitur Filii, id est de Filio, ut supra, vel Filii, quod ipse iusserit praedicari, Mc ultimo, *praedicate Evangelium* etc. Vide etiam Cyrillum²⁵⁶ ad Reginas. Deinde servire in Evangelio accipit D. Thomas²⁵⁷ et plerique quasi diceret in Evangelio praedicando; sed tunc non oportebit ut servire sit colere in praesenti, quia λατρεύω non semper accipitur in eo rigore, ut patet in eo loco non dabis de semine tuo servire principi, graece λατρευειν; et alioqui aptius cadit servire Deo in officio praedicationis quam colere. Si tamen servire hic accipitur ut supra n.3, ut videtur postulare locorum similitudo, ad Rom 12, ad Phil 3, etc aptius est ut spiritu colere in Evangelio idem sit quod in lege evangelica, quasi diceret non servio in carne in iudaimo sed in spiritu in christianismo. (Contra Erasmus²⁵⁸ qui reddit quem colo in Evangelio praedicando).

²⁵⁵ THOMAS AQ., 1^a 2^{ae}, q.107, a.1. Ed Vivès t.3, p.7.

²⁵⁶ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *De recta fide ad reginas*, XIII. PG 76,1223.

²⁵⁷ THOMAS AQ., *in Ep ad Rom lectio V*. Ed Vivès t.20, p.392.

²⁵⁸ ERASMUS R., *ad Rom I*. Op. Omnia, t.6, Lugduni 1705, col.560.

9. Dubitatur 6°, quid sit *memoriam vestri facio*. Dico 1° concedendum esse magis latine dici mentionem facere quam memoriam. Meminise autem alicuius in oratione omnino videtur poni in eo sensu in quo solemus postulare ab aliquo que se acuerde de mí en la oración o en la misa etc. No que se distraiga sed ut me commendet Deo. Itaque non solum significat se facere mentionem de illis in eo quod obsecrat *si quomodo tandem prosperum iter habeat ad eos*, sed ait se eorum meminisse in orationibus, id est orando pro eis *interim etiam obsecrando* ut Deus ei dirigat iter ad illos, sic enim est sensus plenior et nexus aptior. Vide infra n. 11. (In syriaca magis exprimitur nam *to obsecrans* est *rogoque*).

10. *semper sine intermissione*. Idem fere dupliciter significat ex magno affectu. Vel duplicat adverbium eo quod neque unquam omittat orationem neque in oratione romanorum commemorationem. D. Thomas²⁵⁹ et alii [f.143] disputant hic quomodo intelligatur id Lc 18 *oportet semper orare* etc. Y en particular Grandis contra psallianos. Sed saltem in praesenti non est locus controversiae quia non potest esse sensus de mentis dispositione vel de oratione iaculatoria, etc neque enim in quavis oratiuncula vel in quovis actu apostolatus pro romanis orabat. Quare intelligitur de statutis horis ad orandum, quas habent omnes viri spirituales. Et facit modus loquendi, nam meminisse alicuius in oratione non sonat totum tempus illi dare, sino como decimos en las Misas hacer conmemoración. Deinde perpende Pauli caritatem. Sed quid mirum cum etiam Samuel 1Re 12[23] dicat *absit a me hoc peccatum ut cessem orare pro vobis*.

11. Dubitatur 7°, quomodo cohaereat ratio *gratias ago Deo pro vobis, testis enim est Deus quod oro pro vobis semper*, ubi illud enim ostendit ex assidua oratione reddi rationem eius quod dixerat, scilicet se gratias agere. D. Thomas²⁶⁰ continuat sic: gratias ago pro vobis quia bona vestra reputo quasi mea, quod patet ex hoc quod pro vobis oro sicut pro me ipso. Sed simplicius est respondere quod ex more apostolico sunt coniuncta oratio et gratiarum actio pro aliquo. Ut patet 1Tim 2 *primum omnium fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, etc*, atque illud *memoriam facio in orationibus* debet intelligi non solum orando pro vobis, sed etiam postulando, gratias agendo, quia facere mentionem alicuius intelligitur eo modo quo debet et solet fieri atque ita hacer conmemoración de un santo no es rogar por él. Quod si gratiarum actio per Iesum Christum intelligatur in Sacrificio Missae (ut supra, lect.1, n.8) optime congruit pro vobis offero sacrificium laudis, y para que lo creais yo os

²⁵⁹ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom lectio V*. Ed Vivès t.20, p.393.

²⁶⁰ THOMAS AQ., *In Ep ad Rom lectio V*. Ed Vivès t.20, p.393.

certifico que aun en la oración particular nunca me olvido de hacer conmemoración de vosotros, quanto igitur magis in publica oratione et sacrificio.

12. Dubitatur 8. (Quod etiam attinet ad nexum). Quorsum in iuramento vel confirmatione, cum dixisset *testis est mihi Deus*, addit *cui servio in Spiritu in Evangelio*. Respondeo: simile est illud Eliae 3 Re 17,1 *vivit Deus in cuius conspectu ambulo*. Et partim videntur ea ratione recreari sancti dum eum adhibent testem cuius sibi numen propitium esse sciunt; partim etiam est maior confirmatio, quasi diceret cum praecipuo quodam cultu serviam Deo, nequaquam illum testem citarem si falsa praesumerem; et haec nobis forma iuramenti ostendit quid in eo requiratur tum ut rite fiat, tum etiam ut fidem faciat.

Lectio 3^a

Obsecrans si quomodo tandem etc.

1. Iam ostendimus nexum lectione 2, n.9, subintelligendo particulam *etiam*, quasi diceret semper facio vestri memoriam in orationibus meis, *obsecrans* sive deprecans graece *δεόμενος*, *si quomodo tandem aliquando*. Porro haec adverbiorum et coniunctionum congeries (ut notat Oecumenius²⁶¹ et multi) mirum quodam exprimunt desiderium ac studium festinandi, quasi diceret obsecrans ut iuxta ardentissimum animi mei votum aliquando aliqua ratione veniam ad vos. Et nota, ex Ambrosio²⁶² quod illud *quomodo* idem valet ac si diceret quovis pacto, quavis causa y como quiera que sea dice que será próspero su viaje si Dios lo lleva allá, non quod itineris prosperitatem admodum curet neque sibi polliceatur, sino porque aunque pase en el viaje muchos trabajos, dirá que es próspero si llega a consolarlos y animarlos etc. Tantus erat illi caritatis ardor.

2. Sed illa particula *si* videtur aliquos perturbasse (contra communem sententiam) ut non explicarent Paulum orare ut Deus illum Romam deduceret. Neque enim videtur in eo sensu dici posse obsecro si me deducat. Atque ita sentiunt Paulum praecibus voluntatem Dei explorare an ea feliciter Romam deductura esset illum. (Sic Henricus Stephanus in Novo Testamento graeco). Sed primum mere gratis fingitur Apostolos ad quamvis profectio-nem solitos denuo expectare oraculum Dei. Quod si dicatur non expectasse manifestum Dei responsum sed aliqualem lucem et cognitionem qua iudicare possent an ea profectio esset grata Deo postquam inter se partiti fuerant omnes regiones iam satis noverant gratissimum esse Deo si unusquisque sedulo peragraret suam, et saltem parum aut nihil manifestat desiderium suum

²⁶¹ OECUMENIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,10*. PG 118,330.

²⁶² AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,10*. PL 17,55.

videndi eos et consolandi si solum dicat se explorare an sit gratum Deo; adde quod obsecrare non est percontari vel interrogare, et tandem, ex The-
sauro graeco et latino patet quod illa particula *si* vel *εἴ* aliquando est optantis, [f.143v] non solum quia aliquando est idem quod *utinam*, (quia *utinam* non facit ad rem, nec enim cohaereret *obsecro utinam veniam ad vos*) sed quia *obsecro si mihi liceat venire* perinde est ac si diceres *obsecro ut mihi liceat*, sed illa prior loquutio videtur modestior; atque ita hispanice cum posses dicere : *suplico a V.S. que vaya fulano*, in eodem sensu modeste dices *suplico a V.S. si irá etc.*, quod non est optare ut suam explicet libere voluntatem, sed modeste obsecrare ut hoc velit. Immo quamvis in nostra lectione esset *obsecrans si forte prosperum iter habeam* (nam et sic transferri posset), illud *si forte* non erat dubitantis, nam saepe ponitur in re certissima, ut Amos 5 [15] *odite malum et diligite bonum etc, si forte misereatur Dominus Deus*. Vide Martinez, l.5, c.6, fine.

3. Posset etiam illud *si*, conditionaliter accipi cum hac constructione: *si quomodo in voluntate Dei*, id est que si Dios es servido prosperum iter habeam etc. est enim modesta oratio, quae tamen nihil diminuit de affectu. *Suplicoos, Señor, que si sois servido, me envieis a tal parte*. Sed simplicior est altera constructio, et utcumque sit, illud *in voluntate Dei* includit eam conditionem, nam perinde est ac si dixisset volente Deo vel favente Deo. (Aunque Origenes dice que no es lo mismo in voluntate Dei que volente Deo). Vide postea n.4.

4. Duriuscula videtur constructio illorum verborum *prosperum iter habeam veniendi*: mollius esset *veniendo*, quamvis non sit in sensu difficultas. Erasmus²⁶³ mallet legere *venire* vel *ut veniam*, cum hac constructione *obsecrans venire ad vos* vel *ut veniam ad vos*, *si quando prosperum iter habeam in voluntate Dei*, et eo modo non facesseret negationem illa dictio *si*. Verum hanc constructionem non patitur nostra lectio, et planius etiam videtur in graeco ut *venire* seu *veniendo* regatur ab illo verbo *prosperum iter habeam* quod est unicum verbum in graeco; illud quod Ps 1 dicitur *omnia quaecumque faciet prosperabuntur*, unde in praesenti poterat eodem modo verti *si quomodo tandem prosperer venire ad vos*. Et quia verbum graecum componitur ab *εὖ* quod est *bene* et *ὁδός* quod est *via*, ideo noster usus est illa periphrasi cuius vim nos exprimimus dicendo *si Dios encaminase que yo fuese a veros*; unde alii *si mihi succederet ut venirem ad vos*. (Similiter Syriaca rogo quod ut veniam ad vos si quando mihi in voluntate Dei aperiatur via).

5. Ex dictis commendat hic Chrisostomus frequentis orationis usus et

²⁶³ ERASMUS R., *Ad Rom I*. Lugduni 1705, col.560.

ad eam ortatur exemplo Pauli et peculiariter urget hic locus praelatos ad assiduam pro subditis orationem et inflammatum desiderium salutis eorum. Ostendit etiam locus iustorum praeces cuiusvis fideli salubres, de quo hic late Naclantus.

6. *Desidero enim videre vos ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis.* (*Desidero* maiorem habet vim in graeco, in Syriaca exprimitur *vehementer opto*, in quo verbo Chrysostomus, 2Cor 7, homilia 33, perpendit optime materna viscera Pauli, et adducit multa ex aliis epistolis). Ex fine vero patet hoc desiderium nec oriri ex vana curiositate videndi Romam neque ex saecularis amicitiae affectu; sed non est adeo planum quid sit *impertiri gratiam*; ubi nota non esse hic $\chi\alpha\rho\acute{\iota}\omega$ sed $\chi\alpha\rho\iota\sigma\mu\alpha$, quod proprie est donum, et in eo sensu debet accipi nomen *gratiae*, (quamvis concedamus Ciceronem non sic loquturum fuisse). Sotus ergo ex Anselmo per nomen *charismatis* intelligit gratias gratis datas, quasi Apostolus desideraret ad romanorum confirmationem et consolationem vel illis eas gratias distribuere vel communicare cum illis, id est inter eos exercere id est praedicationes et miracula. Sunt etiam (D. Thomas) qui per *gratiam* hic accipiant donum gratiae iustificantis (scilicet cum omnibus donis Spiritus Sancti) quam Apostolus optat impertiri romanis tum per Sacramentorum administrationem *sicut bonus dispensator gratiae Dei, 1 Pt 4*, tum etiam per officium praedicationis quia sermo bonus dicitur dare gratiam audientibus, ad Eph 4,29. Cajetanus²⁶⁴ per nomen gratiae intelligit scientiam; quidam alius minus apte indulgentias. Denique diversitas haec oritur ex eo quod durum videtur ut Apostolus dicat impartiri gratiam; unde Ambrosius²⁶⁵ non legit *impertiar* sed administrem. Sed quia omnino loquitur Apostolus de praedicationis officio adhuc oportet explicare cur docere et concionari appelletur administrare gratiam. Respondeo id optime explicari a Graecis Chrysostomo²⁶⁶, Theophylacto²⁶⁷ et Oecumenio²⁶⁸ qui perpendunt vim graecae dictionis, quae magis sonat impertiri quam ministrare, sed maiorem habet vim, sonat enim quasi tradere seu transmittere, et est alicui communicare quod ab alio acceperis, eo modo quo praedicator debet talentum sibi concessum non abscondere, et sic dicitur 1 Pt 4 *unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum* etc. *Impertiri* ergo in praesenti non es repartiri sino comunicar, in quo etiam sensu nos dicimus dar parte de un negocio etc. Sed Gratiae nomen fortasse debet latius accipi [f.144] id est, non restricte pro talento ipsius Pauli sed in communi pro lege evangelica seu pro ipso Evan-

²⁶⁴ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom, 1,11*. Lugduni 1639, t.5, p.3.

²⁶⁵ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,11*. PL 17,55.

²⁶⁶ J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 2*. PG 60,404.

²⁶⁷ THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom 1,11*. PG 124,346.

²⁶⁸ OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom, 1,11*. PG 118,330.

gelio, (sic enim saepe nomen gratiae accipitur) et in eo sensu communicare cum illis gratiam es darles parte de las riquezas del Evangelio, y el gran bien que es tener a Cristo, y del gobierno de su Iglesia etc. Et hoc proculdubio desiderabat Paulus ore ad os tractare propter vivae vocis energiam (Catari-nus adducit bene alias rationes cur magis optet loqui quam scribere); et sic optime cohaeret sensus.

7. Non tamen ait *ut impertiar gratiam sed ut impertiar aliquid gratiae*, est enim res infinita et incomprehensibilis, quasi diceret para daros parte de algo de lo mucho que hay que decir. Et gratiam evangelicam appellat spiri-tualem vel quod faciat homines spirituales, eo modo quo dicitur pallida mors, vel quod requirat cultum spiritualem, ut diximus lectione 2, n.4. et infra. Et inculcando nomen spiritus intendit eos Paulus a carnalibus amove-re et invitare ad colendum Deum in Spiritu et veritate. (Oportuisset graeca consulere ἵνα τὶ μεταδᾶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικόν. Illud aliquod donum potius explicat Chrysostomus²⁶⁹ que lo dice por humildad, porque habla de lo que él podía dar).

8. *Ad confirmandos vos*, id est, ut maiorem habentes cognitionem fir-miores sitis quam omnes diabolicas tentationes. Et fortasse non admodum abs re videretur alicui signanter notari sacramentum confirmationis, sed communiter omnes interpretaentur et bene de confirmatione in veritate fidei. Iuxta illud Lc 22 *confirma fratres tuos*. Et sic etiam dicitur ad Hebr 13 *doctri-nis variis nolite abduci*, optimum est enim gratia stabilire cor, gratia, id est, doctrina de gratia evangelica.

9. *Id est simul consolari*. Quatuor sunt in his verbis controversa. —1^{um} est quod cum verbum graecum aliquando significet consolationem et ali-quando exhortationem, melius videtur cohaerere cum confirmatione exhortatio quam consolatio, atque ita noster interpreas non videtur optime reddi-disse. —2^o, στηριχθῆναι et συμπαρακληθῆναι, id est verba graeca quibus respondent in latino *confirmandos et consolari*, utrumque ponitur in graeco eadem loquendi forma, id est in eodem tempore et modo; ergo debuit etiam latinus pariformiter explicare *ad confirmandos vos, id est consolandos vel exhortandos*. —3^o, in nostra lectione, ut aliquo modo cohaereat illud *conso-lari* non videtur accipi posse active, sed quasi diceret consolationem capere : in qua re videntur duo esse durissima, alterum est ex verbo deponenti facere quasi passivum, alterum quod ex duobus verbis graecis quae pronuntiantur eodem prorsus modo, alterum accipiatur active et alterum passive. —4^o, non satis constat ad quid proxime referantur haec verba (id est simul consolari)

²⁶⁹ CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 2*. PG 60,406.

nam si explicat quid intelligat nomine confirmationis videtur id esse novum confirmationis genus. Unde Ganeius et latius Zegerus referunt haec verba ad illud *desidero videre vos*, quasi diceret *desidero videre vos ut confirmem etc.* videre inquam, id est simul consolari in vobis.

10. Dico 1° ad 4^{um}: omnes veteres interpretes tam graecos quam latinos ita accipere ut haec consolatio sit quasi temperata explicatio illius confirmationis, in quo Pauli artificium et piam vafriciem admirantur: cum enim de industria tacite significasset romanos indigere confirmatione, succurrit statim ne offendantur et quodam modo videtur velle se corrigere quasi usurpasset duriolem quam par erat vocem, et ait : eam quam appellavit confirmationem romanorum potius esse eorum et ipsius etiam Pauli consolationem, quasi diceret non dico vos vacillare, sed et vobis et mihi magno solatio futurum si de iis rebus possem vobiscum coram disserere quae valent ad confirmandos animos; nam valde pertinet ad christianam charitatem laetari et gaudere in rerum divinarum colloquiis. Sed nota Paulum velle quidem emollire quod dixerat, ita tamen ut dictum maneat; et praeterea in connexionione confirmationis et consolationis significat tacite et suaviter tum demum illos et sibi ipsis et Paulo etiam magnae consolationis materiam praebituros cum plene instructi atque adeo firmi et stabiles fuerint in fide et caritate, nam ea ratione consequentur illi gaudium spiritus et pacem pacatae conscientiae, de quo saepe in Sacra Scriptura, et Paulus etiam consequetur id quod tantopere desiderat, ut Christus Dominus debite cognoscatur et honoretur.

11. Dico 2° ad 3^{um}: etiam apud auctores prophanos reperiri hoc verbum *consolari* in significatione pasiva ut patet ex Calepino et Thesauro, et non requirendum est ut in nostra Vulgata observetur semper usitatio verbi coniugatio. Nam Eccli 11[9] fit verbum deponens *certor* et c.24 fit verbum activum *requiesco*. *Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo*. Vide ibi Jansenium. Et huiusmodi sunt alia multa. Ad illud autem quod obiicitur, scilicet debere utrumque verbum graecum accipi eodem modo, vel utrumque passive vel utrumque active. Respondeo utrumque poni passive, (**f.144v**) nam graeca construenda sunt huiusmodi *desidero videre vos ad confirmari vos, id est consolari in vobis*. Quod si velis construere *desidero videre vos ut confirmem vos*, non est adeo necessarium ut utrumque verbum eodem modo accipiatur; et utcumque sit, *consolor* non potest accipi ut significet se desiderare simul consolari romanos, quia graece et latine sequitur *in vobis*, quod nulla ratione potest aliter construi nisi supleno accusativum *me*, quasi diceret id est, me simul vobiscum et inter vos accipere consolationem. Erasmus²⁷⁰, pro Laurentio Valla videtur velle inducere aliam construc-

²⁷⁰ ERASMUS ROTERDAMUS, *In Ep. Ad Rom, 1,28*. Lugduni 1705, col.560.

tionem suplendo accusativum vos, sed ego prorsus nescio illam aptare textui. Vide Sotum. Praeterea nota esse quosdam qui dicant illud verbum consolari seu consolationem capere pertinere ad Paulum et ad Romanos, sed ut bene ait Erasmus ad Titelmanum, illam mutuam consolationem non exprimit verbum ipsum sed illa coniunctio *σὺ* vel *simul*. Nam verbum expresse referunt ad Paulum Chrysostomus²⁷¹, Theophylactus²⁷² et Origenes et quotquot bene interpretantur neque enim aliud permittunt ea verba quae sequuntur.

12. Ad 2^{um} dico potuisse quidem pariformiter verti, non quidem ad consolandos vos, sed huiusmodi: desidero videre vos ad confirmandos vos, id est ad consolandum me simul in vobis, sed non est res tanti momenti ut propterea sit arguendum interpretes; imo si addidisset coniunctio quae est in graeco non ita bene haberet lectura per gerundium, nam melius dicitur ad confirmandos vos, id autem est consolari quam ad consolandum.

13. Ad 1^{um} tandem Respondeo optime quadrare consolationem cum confirmatione, ut patet n.10, et sic accipiunt graeci coacti proculdubio ipso contextu; quid enim esset simul exhortari in vobis per mutuam fidem. Unde inepte annotavit Erasmus²⁷³ magis quadrare exhortationem. Caeterum consolationis nomine Chrysostomus²⁷⁴ intelligit lenimentum afflictionum atque adeo disputant quidam an dicat Paulus se etiam egere ea consolatione. Simplicius tamen est cum Theophylacto²⁷⁵ per consolationem intelligere spirituale gaudium in Domino.

14. *Per eam quae invicem est fidem vestram atque meam.* In his verbis fere non sistunt interpretes sed plane accipiunt quasi diceret Paulus consolationem futuram per communem fidem, id est per eiusdem fidei et religionis communionem magno futurum gaudio et ipsi et illis si coram disserat de gratia coelesti atque ita illi confirmentur. Sed obiicies: non ait Paulus per communem fidem sed per eam quae invicem est fidem, qua phrasi plane videtur significari ea fides quae est Pauli erga romanos et romanorum erga Paulum, unde Naclantus et Sotus explicant etiam non de fide qua credimus sed de fidelitate et caritate mutua sive etiam de confidentia, de aquella divina ley, confianza y amistad con que se tratan los siervos de Dios, et maxime si sint praelatus et subditus viri spirituales, non enim dicimur invicem credere Deo, bene tamen invicem diligere et confidere. (Los ejemplos que pone San

²⁷¹ CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 2*. PG 60,404.

²⁷² THEO PHYLACTION, *Expos in ep ad Rom 1*. PG 124,347.

²⁷³ ERASMUS R., *In Ep ad Rom, 1*. O.O. Lugduni 1705, t.6, col.561.

²⁷⁴ CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 2*. PG 60,404.

²⁷⁵ THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom, 1,12*. PG 124,347.

Crisóstomo son como cuando va un padre de la Compañía al Japón).

Dico 1º, valde verisimilem esse hanc explicationem Soti et Naclanti, et in eam tandem incidunt qui fidem Christianam dicunt etiam esse ad alterum quatenus per caritatem operatur, ut hic ait Magister²⁷⁶. Dico 2º, satis quoque probabilem esse communem expositionem quam etiam sequuntur graeci Chrysostomus²⁷⁷, Theophylactus et Oecumenius²⁷⁸. Et ad illud quod obiicitur, scilicet non esse idem fidem communem et fidem ad invicem, Respondeo 1º, nomen graecum non semper postulare illam alternationem unius erga alterum, ut patet ex *Thesauro*, nam eodem nomine significatur quod nos dicimus pariter vivere, id est in Societate, unde apposite significatur eo nomine Societas et unio Ecclesiae in fide. Quare illa dictio *invicem* non oportet ut accipiatur in rigore sed eo modo quo explicares *invicem* vivere, id est pariter. Respondeo 2º (et colligitur ex graecis) non tam hic agi de ipsa interiori fide quam de ipsius communicatione, quae est velut fides exterior ad invicem, et sic significat Paulus magnam futuram consolationem per fidem *invicem* communicatam in quo humanissime agit quasi non solum vellet docere sed etiam audire.

f.145]

Lectio 4^a

Nolo autem vos ignorare, fratres, etc

1. Ambrosius²⁷⁹ legit: arbitror autem vos non ignorare, sed reliqui omnes, tan graeci quam latini sequuntur nostram lectionem quae omnino respondet graecae, quasi diceret : y os hago saber que no solo he deseado iros a ver sino que muchas veces he tenido concertado el viaje; ***ut aliquem fructum habeam in vobis***. Notat Theophilactus non dixisse aperte ut vos instruerem sed moderatius *ut habeam fructum*, ut supra, lectione 3 §10. Crediderim tamen potius loqui confidenter, non eim solum ait ut seminem Verbum Dei sed etiam quasi certus de fructu colligendo ait : saepe proposui venire ad vos, non dico ut seminem sed ut fructum certo colligam quia illum haberem certum et uberem si in vestris animis seminarem, in quo significat eos esse terram bonam et optimam. (Perpende que como predicador evangélico no mira sino al fruto. Et vide quid sit afferre fructum, Jn 15.

²⁷⁶ PETRUS LOMBARDUS, *In ep ad Rom 1*. PL 191,1320.

²⁷⁷ J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 2*. PG 60,404.

²⁷⁸ OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom 1,12*. PG 118,330.

²⁷⁹ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,13*. PL 17,56.

2. Sed interponit per parentesim quaedam verba, scilicet *et prohibitus sum usque adhuc*. Chrysostomus et Ambrosius²⁸⁰ explicant prohibitum fuisse a Deo vel a Spiritu Sancto. Sic enim Act 16[6] Paulus et Timotheus *vetati sunt a Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Asia* et cum tentarent ire in Bitiniam non permisit eos Spiritus Iesu. Quod si roges cur Spiritus Sanctus id prohibuerit, variae possunt reddi rationes, sed ait Chrysostomus²⁸¹ nihil esse curiose scrutandum sed tribuendum esse inscrutabili Dei providentiae et abditis eius iudiciis, et Paulum dum non exigit a Deo rationem sed subdit se divinae voluntati erudire nos ut similiter faciamus, quamvis alias videretur convenientissimum ut aliquod desiderium pium impleretur. Origenes²⁸² etiam aliter explicat, scilicet Paulum impeditum esse a daemone iuxta illud 1Thesal 2[18] *voluimus venire ad vos sed impedit nos Satan*. Alii vero explicant Paulum impeditum fuisse aliis urgentioribus occupationibus. Et certe eo modo se explicat postea ipse Apostolus c.15, ubi cum significasset quanta occupationum mole premeretur et iis quae magis necessariae videbantur fuisse prius satisfaciendum, quale erat praedicare Evangelium in iis locis in quibus Christus non fuerat noratus, subdit propter quod et impediebar plurimum venire ad vos et haec etiam ratio significatur hic cum subdit *graecis ac barbaris debitor sum*, de quo infra. Et ipsa vox ἐκωλύθην magis sonat praepeditum (ut ait Erasmus²⁸³) quam *prohibitum*. (Vide quid ex singulis explicationibus colligi possit, et maxime ex illarum concordia). Possumus tamen coniungere has explicationes et ex triplici facere unam plenior, scilicet, Paulum fuisse prohibitum quia daemon impedire conabatur eius iter, et Spiritus Sanctus ea daemonis machinatione occulte utebatur ad sui secreti iudicii voluntatem, occupando interim Paulum in iis quae magis urgebant et suae voluntatis significatione Paulum ab itinere revocando.

3. Quod sequitur distinguit paulo aliter Origenes²⁸⁴, ita ut sit nova clausula et supleantur aliqua verba huiusmodi: et sicut in caeteris gentibus graecis ac barbaris (quibus debitor sum) habui fructum, ita quod in me, promptum est et vobis evangelizare, in qua distinctione illud praestat ut in eodem periodo sibi correspondeant illae dictiones *sicut* et *ita* quod Erasmus²⁸⁵ ait belle quadrare. Nam quod *ita* ponatur pro *itaque*, ut legit Ambrosius²⁸⁶ et graeci ms et saepe apud Plantinum, no solum est inusitatum, sed etiam repugnat textui

²⁸⁰ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,13*. PL 17,56.

²⁸¹ CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 2*. PG 60,405.

²⁸² ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.1, n.13*. PG 14,859.

²⁸³ ERASMUS R., *In Ep ad Rom, 1*. O.O. Lugduni 1705, t.6, col.561.

²⁸⁴ ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.1, n.13*. PG 14,858.

²⁸⁵ ERASMUS R., *In Ep ad Rom, 1*. O.O. Lugduni 1705, t.6, col.562.

²⁸⁶ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,15*. PL 17,57.

graeco, nam οὔτω non sonat itaque sed ita, ut patet in *Thesaurō*. Cum ergo illud *ita* accipiatur pro *itaque* oportet ut connectatur cum illa dictione *sicut*, nam aliter non videtur posse cohaerere textus. Haec pro Origene, in cuius tamen constructione satis dure suplentur illa verba, et mollius esset in eodem distinguendi modo tolerare ut Apostolus dixerit debitor sum in gentibus, quasi diceret debeo me in eorum fructu impendere, nam ea phrasi tolerata nihil oportebit sibi intelligere sed poterit construi sic: proposui venire ad vos ut habeam fructum in vobis et sicut in caeteris gentibus, graecis ac barbaris debitor sum, ita etiam paratus sum vobis evangelizare, vel sicut in caeteris gentibus graecis et barbaris debitor sum evangelizare quantum attinet ad animi mei promptitudinem. Sic placet Erasmo. Dico tamen nulla ratione descendendum esse communem modum distinguendi, in quo patet ex puncto quod illa particula *sicut* non cohaeret cum subsequentibus sed cum praecedentibus et probatur efficaciter ex ipso textu, quia non ait et sicut in caeteris gentibus sed *sicut et in caeteris*, quae loquutio est proculdubio finientis clausulam et non incipientis novam.

[f.145v]

4. Ait ergo Apostolus se optare fructum in romanis sicut in caeteris gentibus habebat. In quo modo loquendi nota 1° significari Pauli praedicationem in multis gentibus fructificasse et, quodammodo fere in gentium universitate, non enim ait sicut in aliquibus gentibus, sed sicut in caeteris. Vide postea, c.15, ab Hierusalem usque ad Illiricum, etc.; 2°, nota, ex Chrysostomo²⁸⁷, tacite Paulum despiciere romanorum fastum, vel indicat concionatori non esse curanda personarum distinctionem sed quodammodo omnes habendos pro aequalibus, non enim dicitur in caeteris nisi inter aequales. Vide supra in salutatione illa verba in omnibus gentibus in quibus estis et vos. Y antes da a entender que a los que no eran tan ricos y poderosos había trabajado más. Considera un obrero de la Compañía que acude a los pobrecitos necesitados y se excusa con los ricos. *Sapientibus et insipientibus debitor sum* etc. Vide postea n.9.

5. ***Graecis ac barbaris debitor sum.*** Dupliciter hoc accipi potest, —1°, ex Adamo, tanquam ratio sui desiderii, quasi diceret etiam si me non impelleret meus erga vos amor, cogit tamen officium nam debitum mihi incumbit praedicandi Evangelium. —2°, ex Cajetano²⁸⁸, tanquam explicatio impediementi prohibentis ex eo quod omnibus est debitor, quasi diceret non potui hactenus solvere quia urgent me multi alii creditores. Vide supra n.2. Quod

²⁸⁷ J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 2*. PG 60,406.

²⁸⁸ THOMAS A VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom 1,14*. Lugduni, 1639, t.5, p.4

si liceret non adeo curare de nostra distinctione, posset quis huiusmodi constructionem sequi : prohibitus sum usque adhuc sicut in caeteris gentibus, graecis ac barbaris debitor sum, id est cum debitor sim, como soy deudor. Nam Act 7,17 eadem dictio καθως ponitur pro cum ibi cum autem appropinquaret. Pero quedaba ya atrás el *prohibitus sum* en el parentesi. Porro, quod se non dominatorem sed debitorem appellat subditorum perpendit egregie Bernardus ad Eugenium, l.3 in principio et est optimus locus pro praelatis. Deinde in eo quod graecos opponit barbaris non inurit caeteris nationibus notam barbarorum morum et linguae, sed utitur eo nomine simpliciter sicut Strabo docet usurpari in *Thesaurio* verbo *barbarus* prout est nomen caeterarum nationum, sicut gallus, scotus, hispanus, etc. Sunt etiam qui in nomine graecorum considerent linguam communem quae tunc temporis erat graeca; et in eo sensu ait Apostolus se omnibus esse debitorem, sive communicantibus sive non communicantibus lingua. Quidam etiam nolunt ut apud Paulum graecus sit nomen nationis sed doctrinae, atque idem erit *graecis et barbaris* quod statim subdit sapientibus et insipientibus. Vide postea *iudaeo primum et graeco*. Quaedam minutiora notat Erasmus²⁸⁹ scilicet cur in graeco duplicata coniunctione dicatur *graecis et barbaris*, de quo bene. Item magis ad rem verteretur eruditos et crasos quam sapientes et insipientes, in quo non placet. Martinez etim l.3, c.4 per sapientes et insipientes vult designari iudaeos, sed simplicius est universaliter accipere verba Pauli ut sonant.

6. Ita quod in me promptum est et vobis evangelizare. Iam vidimus n.3, non legendum esse *itaque* sed *ita*, sed sensus erit idem si addatur coniunctio ut lenius fluat oratio quasi dicat omnibus debitor sum atque ita paratus etiam vobis evangelizare. Quod si velis ut *ita* dicat similitudinem, bene etiam cohaeret omnibus debitor sum et simili etiam modo paratus vobis evangelizare sicut debitor. Deinde ***quod in me promptum est***, Ambrosius²⁹⁰ et multi explicant quasi diceret quantum ad me attinet promptitudo mihi est vel promptus sum quasi diceret quantum in me est paratus sum; et quamvis sensus eodem tendat, constructio tamen accommodatior esset hac ratione, quod in me promptum est, id est quicquid est in me facultatis et virium promptum est. Aliter etiam Erasmus²⁹¹ referendo verbum *evangelizare* non ad promptum est sed ad illud *debitor sum*, hac ratione omnibus debitor sum, et sic quos attinet ad animi mei promptitudinem vobis etiam qui Romae estis debitor sum evangelizare. Hoc ait ipse belle quadrare, ego tamen non intelligo quia non erat Paulus debitor ex promptitudine sed ex officio, imo promptitudo po-

²⁸⁹ ERASMUS R., *In Ep ad Rom, 1*. O.O. Lugduni 1705, t.6, col 561.

²⁹⁰ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,15*. PL 17,57.

²⁹¹ ERASMUS R., *In Ep ad Rom, 1*. O.O., Lugduni, 1705, t.6, col.561.

tius pertinet ad quamdam satisfactionem vel excusationem quam ad rationem debiti. Praeterea dure explicatur quod in me promptum est id et secundum animi mei promptitudinem, maxime cum istae dictiones dividantur comate vel inciso, sic enim habent nostri libri quod in me, promptum est. Praestant ergo priores explicationes.

7. *Non enim erubescio Evangelium.* An sit phrasis satis latina et an legendum sit Evangelium Christi (ut habent G.q). Vide Erasmus²⁹². Deinde nota videri Paulum cum ait *non me pudet* parum dixisse, cum alibi dicat *absit mihi gloriari nisi in cruce*, sed id fuit magni artificii ut late explicat Chrysostomus²⁹³. Praeterea non est mirandum quod dicat se non pudere quia Deum Crucifixum praedicare erat *judaeis scandalum gentibus autem stultitia (1Cor 1)* de quo egregie Osorius de Sapientia et Ludovicus Granatensis²⁹⁴ in introductione ad Simbolum, p.2, c.28, et multi hic. Et propterea Christus admonebat, Lc 9[26] [f.146] *qui me erubuerit coram hominibus, etc.* Sed quam sit splendidum et gloriosum id quod prima facie videtur abiectum et humile, explicat quod sequitur *virtus enim Dei est* etc. Et auctores supra dicti latissime.

8. Sed dices quomodo cohaeret promptus sum evangelizare non enim erubescio Evangelium? Nam multos non pudet crucis qui tamen non ita gestiunt praedicare. Respondeo postquam illi ex officio incumbere et tamen saepe ab itinere revocatus fuerat, videri poterat pudore impediti ne crucis mysteria et Crucifixi gloriam praedicare auderet coram principibus, consilibus et imperatoribus, atque ita ait se nihilominus promptissimum esse atque adeo gestare nec enim eo interno impedimento detinebatur sed aliis externis, de quibus n.2. — Locus est contra eos qui non audent se palam Christi discipulos profiteri ut Joseph ab Arimatea, et praesertim contra eos qui viros religiosos et timoratos irrident; vel de vitiis et peccatis agunt tanquam de re gloriosa.

9. Quando ait *non me pudet Evangelii*, perinde est sive per Evangelium intelligas praedicationem sive rem praedicatam sive etiam christianismum; nam qui non audet se christianum confiteri ne crucifixum hominem pro Deo colere irrideatur, multo minus audebit praedicare. Sed in ratione sequenti, nimirum *virtus enim Dei est in salutem omni credenti*, ibi oportebit examinare an loquatur de praedicatione vel de ipsa re praedicata. Sunt enim diversi

²⁹² ERASMUS R., *In Ep ad Rom, l. O.O.*, Lugduni, 1705, t.6, col.562.

²⁹³ CHRYSOSTOMUS, *In Ep ad Rom homil 2*. PG 60,407.

²⁹⁴ FRAY LUIS DE GRANADA, *Introducción al simbolo de la fe, p.2ª, c.27*. Barcelona 1877, tomo 2, p.278.

sensus, de quo lectio 5. Interim tamen nota quod supra exciderat cum D. Paulus ait *graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum*. Divo Ambrosio²⁹⁵, D. Thomae²⁹⁶ et aliis videri ibi non includi iudaeos sed solum gentiles sive ratione ducantur sive non, et reddunt rationem quia Paulus est Apostolus gentium. Malim tamen universaliter accipere, maxime quia romani ad quos scribit, partim erant ex iudaeis, partim ex gentibus, atque adeo non debebat Paulus significare se solum esse debitorem gentibus. Praeterea per graecos videtur Ambrosius²⁹⁷ intelligere romanos, et per barbaros eos qui non essent romani; sed nescio quo fundamento. Ultimo, quod ait *promptus sum* accipit Ambrosius quasi diceret malem ego vobis praedicare eo quod Roma sit caput mundi, sed hoc non satis cohaeret cum ea explicatione quam adducebamus, et quae magis videtur textus filum deducere. Bene Avila²⁹⁸ c.40; Solis parte 1^a, c.1^o; Fray Luis in concione de Sto Thoma Aquinate.

Lectio 5

Virtus enim Dei est, etc

1. Hactenus Paulus conciliavit benevolentiam comiter admodum eos adloquutus suamque in eos ardentissimam caritatem exponens et serviendi desiderium; hic vero ingreditur iam epistolae materiam, in quo ingressu duo perpendunt interpretaetes, alterum est quam prudenter connectat cum exordio et amicitiae christianae significatione, rem ipsam de qua vult scribere; alterum est quam sapienter ad unam hanc universalem propositionem veluti ad concionis thema rem omnem reduxerit et revocarit. Paucis ergo verbis suam intentionem complectitur, cum ait *Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti*, in cuius postea explicatione et probatione tota fere versatur epistola.

2. (De efficacia verbi Dei, ad Hebr 4[12]). Subiectum propositionis est Evangelium, quod qui pro ipsa praedicatione accipiunt existimant Paulum incipere a virtute et efficacia verborum Dei, et maxime eo modo quo ab Apostolis praedicabatur cum miraculorum confirmatione solent enim signa et prodigia nomine virtutis intelligi et sic accipit Ambrosius²⁹⁹ et tam si existimat eos qui minus sincere praedicaverant romanis atque adeo sine ostensione virtutis, quare erat quod erubescerent cum ab Apostolis discordarent qui divina virtute suam praedicationem confirmabant. Inter eos autem qui de

²⁹⁵ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,14*. PL 17,57.

²⁹⁶ THOMAS AQ., *In ep ad Rom c.1*. Ed Vivès, t.20, p.395.

²⁹⁷ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,14*. PL 17,57.

²⁹⁸ JUAN DE AVILA, *Audi filia II,40*. BAC Maior 64, p.621.

²⁹⁹ AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,16*. PL 17,57.

efficacia verborum Evangelii locum hunc accipiunt, quidam superstitiose id intelligebant aut nimis materialiter alligantes collo partem Evangelii; contra quos Chrysostomus in Jn homil.43, sed vehementius fortasse quam par erat. Quia verba Evangelii scripta virtutem salutiferam habent, quod probat D. Thomas³⁰⁰ hic quia S. Barnabas curabat infirmos evangelium superponendo. Dico tamen omnia haec non videri ad rem quia non est sermo de virtute et efficacia ipsius praedicationis ut latius patebit. (Para que trate de efficacia praedicationis favet 1Cor c.2,1).

3. Aliis videtur eo modo dici Evangelium esse virtus Dei quo lex dicitur virtus peccati, ita ut sit discrimen inter legem et Evangelium et Evangelium accipiatur pro lege Gratiae, id est, pro ipsa Gratia, quae est lex nostra in cordibus scripta. Et tunc esset sensus legem evangelicam seu Gratiam esse id per quod Deus operatur in nobis bonum, et cum judaeos non suae pudeat legis quae occasionaliter est virtus peccati, maiori iure Apostolum non pudere suae. Haec tamen explicatio non est ad rem quia praeter alia quis est quem Gratiae pudeat. Et omnino Paulus agit de re quae prima specie videatur pudori et confusione, cum tamen revera sit illustrissima. [f.146v] Sed dices non sit sermo de sola Gratia sed de tota lege evangelica, id est de iis omnibus quae nobis conferuntur per Christum, scilicet sacramenta, consilia etc. —Respondeo, etiam in iis nihil esse quod praecipue per se ruborem suffundat; quare vel est sermo de ipso christianismo, id est de professione eius religionis in qua colitur *Christus Crucifixus, iudaeis scandalum et gentibus stulticia*, vel certe de iis quae profitemur christiani, id est de ipso Deo Crucifixo et eius Crucis effectibus. Sed hoc interest, quod agere de christianismo est agere de nostra fide qua credimus, et non satis quadrat quod Paulus id tandem dicat quod nostrum credere est virtus Dei in salutem omni credenti neque ullus ita explicavit; relinquitur ergo quod Paulus nomine Evangelii intelligat nostram fidem obiective, id est Deum Incarnatum, Crucifixum, etc, atque ita videtur accipere Chrysostomus³⁰¹ et plerique graviores interpretaes. Vide Clementem Romanum, 6 Constit. c.25. Vide Eusabium 1 de preparat. evangelica, c.1. De hoc ergo evangelio ait *virtus Dei est* etc. Supra vidimus in salutatione, lect.7, n.1 et 2, etc et lect. Virtutis nomen in Sacra Scriptura quatrupliciter accipi, (etiam ubi est *δύναμις* in graeco, scilicet pro *potentia*, pro *miraculo*, pro *maiestate et gloria*, et denique pro *sanctitate* (contra aliorum notationes). Et si *Evangelium* referatur ad Christum, omnia haec in illum competunt, nec enim solum est *potens*, sed *ipsa Dei potentia*, et non solum patrorum miraculorum, sed supremum etiam miraculum, cum in duabus

³⁰⁰ THOMAS AQ. *In ep ad Rom, c.1, lect.6*. Ed Vivès, t.20, p.396.

³⁰¹ J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 2*. PG 60,408.

naturis subsistat, et est etiam ipsa Dei sanctitas et maiestas. (*Dei* sin articulo, quia non designatur certa Persona, ex Erasmo³⁰²). (Vel *virtus Dei*, ut supra *Evangelium Dei*, vel *mons Dei*, in salutatione, lect.2, n.7). Et optime quadrat ut Paulus dicat non se eius Dei pudere, cum haec omnia in illum conveniant. Et quadrat etiam quod sequitur, quia Christus est *in salutem omni credenti* sicut dicitur *praedestinatus in gloriam nostram*, 1Cor 2,7. Sed magis est ad rem ut non tam referatur Evangelii nomen ad ipsam Christi Personam quam ad eius Incarnationem, Nativitatem, Passionem etc. denique ad ea omnia quae uno dispensationis nomine complectuntur antiqui patres. Haec ergo ait Paulus quae mundus existimat esse pudoris obiectum, ego contra, dico virtutem esse Dei. Id est per metonimiam, id in quo virtus Dei elucet, virtus inquam Dei antonomastice, id est in quo maxime elucet virtus sive potentiam sive sanctitatem sive etiam gloriam et maiestatem desideres, de quo latissime auctores supradicti lect.4, n.7. Vel vide etiam illud *virtus in infirmitate perficitur* 2Cor 12,9.

5. **In salutem.** Non solum ait quod evangelium est maxima gloriae et potentiae manifestatio, nam posset id ad vindictam referri, sed haec virtus Dei est in nostram salutem. Et potest primo salutis nomine intelligi idem quod supra nomine pacis in salutatione sumpta metaphora a corporali salute, nam per hanc saepe in Sacra Scriptura significatur interior salus, sicut contra, peccata, in ulceribus et aegritudinibus ut Is 1. Crediderim tamen in Sacra Scriptura, cum sermo est de salute allata per Mesiam, salvationem intelligi debere potius quam sanitatem, nam σωτηρ proprie est Salvator, unde σωτηρία salvatio, id quod optime explicat Lc 1 in iis verbis *salutem ex inimicis nostris*, id est salvationem de inimicis. Vide ibi Jansenium³⁰³. Virtus ergo in salutem omnino est id quod ibidem ait Lc *cornu salutis* nam hic *cornu* ponitur pro gloria, regno et potentia, et *cornu salutis* pro cornu salutifero, id est pro ea potestate et gloria per quam non solum liberamur sed etiam triumphamus de inimicis nostris, id est de peccatis, de diabolo, de pravis affectibus, de mundo, etc.

6. Sed maxime animadvertendum est cum Evangelium dicitur cornu salutis vel virtus Dei in salutem, non solum asserti quod per Evangelium consequimur salutem vel quod plenius per Evangelium quam per aliud medium, sed omnino negari ulli unquam posse contingere salutem nisi per Evangelium, alioqui non cohaeret ratio Divi Pauli, ut postea patebit, et est modus loquendi usitatus, éste es el remedio ad significandum hoc unicum esse remedium et omnino nullum aliud superesse; maxime cum salus significet salvationem, ut

³⁰² ERASMUS R., *In Ep ad Rom 1*. O.O. Lugduni 1705, t.6, col.562.

³⁰³ JANSENIUS, *In Concordiam*, c.5. Lugduni 1580, 40d.

vidimus; cum enim Paulus dicat in Evangelio Deum suam voluisse exercere virtutem ad salvandos homines aperte asserit omnes cuiuscumque status et conditionis quantumvis lege vel philosophia vel bonis moribus instructi esse videantur nihilominus indigere salvationem et eam nulli contingere nisi per Evangelium. Et hoc est quod ait postea c.3 *omnes egere gloria Dei*, nam virtus Dei et gloria Dei idem sunt, ut patet n.4. Et alioqui non esset verum omnibus afferi salvationem per Evangelium nisi absque Evangelio omnes essent in servitute peccati; nec enim potest aferri redemptio nisi captivo.

7. *Omni credenti*. Observandum est non dici fidem Evangelii esse virtutem Dei salvatricem sed ipsum Evangelium esse virtutem Dei salvantem eos qui credunt. In quo nostra salus, vita et iustificatio tribuitur tanquam causae principali ipso Evangelio seu Christi redemptioni; fidei vero non tribuitur nisi [f.147] tanquam conditioni vel approximationi. Itaque omnes fidei laudes quae sunt eximiae et in quibus multus est D. Paulus, non sunt laudes ipsius virtutis salvatricis, sed applicationes, ut magis patebit postea. De iis loquor quae fidei inhaerenti in anima tribuuntur; nam laudes fidei obiectivae sunt laudes ipsius Evangelii, et sic etiam saepe loquitur Paulus. Sed de fide qua credimus (familiariter loquendo) potius negat illi esse nostram salutem tribuendam quatenus est nostra operatio; quia dum ait Evangelium esse virtutem Dei in salutem, intendit omnem aliam salutem negare, ut patet n.6, in quo, ut ipse latissime explicat non solum negat eam virtutem legi et philosophis, sed etiam nostris actionibus sive operibus per se consideratis, e quorum numero est ipsum credere, idque agit Apostolus ut soli Christo tribuatur gloria iustificationis, quia quamvis certissimum sit hominem per suas actiones iustificari supernaturaliter ad eas adjuvante Deo, ex Tridentino, sess.[VI]. Aliud tamen est per eas nobis applicari Christi virtutem et aliud eis inesse vim iustificandi quod esset nobis tribuere iustificationem quia laus operationis debetur agenti, imo hoc ipsum quod est motus fidei esse dispositionem ad gratiam debet intelligi ex Christi benignitate, ita ut semper gloria referatur ad Christum, non ad credentem, sicut quando mendicus accipit eleemosinam per suas preces a divite benigno, si roges cui tribuendum sit quod acceperit eleemosinam omnino id tribuimus benignitati divitis, et preces quidem fuerunt requisitas ut conditio, tamen ex se non habent ditandi vim, imo nec disponendi nisi praesupposita alterius liberalitate. Et stultus esset qui gratias quas diviti benigno debebat in suamet preces converteret. (La aproximación presupone la virtud de la causa).

8. Ait ergo Paulus Christum esse virtutem unicam salvatricem, et eam salutem seu salvationem omnibus gentibus afferi cuiuscumque conditionis sint, et neminem aliter eam consequi nisi credendo. Explicandum tamen no-

bis est in quo sensu accipiatur credere. Et suppono late hic ab interpraetibus tractari de variis acceptionibus huius vocis in Sacra Scriptura, et late etiam impugnari illam perfidam luteranorum fidem ex stulta quadam persuasione manantem. De quibus etiam docte disserit inter alios Osorio, De Iustitia, l. 1 et 2. Sed quod attinet ad hunc locum tripliciter video a catholicis explicari: 1^o ab Osorio, ut credere sit idem quod oboedire, quia haec nomina saepe confunduntur in Sacra Scriptura. 2^o, a plerisque de fide informata a charitate, quia haec videtur esse perfecta fides quam exigit Sacra Scriptura, Jn 7 et 2 Paral 16. (Contra hoc optime Adamus, c.3, in fine).. Sed in utraque explanatione potius constituitur quid sit esse iustum aliquem in eo quod credit quam quomodo iustitia oriatur ex fide. Et certe perlegenti mihi saepe totam epistolam et intentionem Apostoli consideranti, omnino videtur non agere quomodo ipsa fides sit iustitia, ita ut per eam homo dicatur iustus formaliter, sed id contendere quod iustitia est ex fide, id est, iustitia tribuitur credenti ita ut credere praesupponatur ad iustitiam, quare simplicior et accommodatior est 3^a explicatio cui ipsum credere est dispositio ad gratiam vel iustitiam.

9. Sed urgeo adhuc de qua fide sit sermo et de quo dispositionis genere, nam multi credunt et perseverant in iniustitia et iniquitate. Respondent quidam: cum multa concurrant in iustificatione, scilicet poenitere, dolere, credere, sperare, amare, etc, et omnia haec proculdubio requirantur, ex Trident sess 6^a, cum in Sacra Scriptura per aliquod eorum hominem iustificari intelligi debere quando caetera concurrunt quae sunt necessaria, sed saepius fieri mentionem de fide, tum quia ipsa est prima inter caeteras dispositiones et quae suapte natura illas conciliat nisi impediatur, tum etiam quia id valde expediebat initio nascentis Ecclesiae. Ut optime explicat Avila³⁰⁴ in suo libro spirituali c.44. (Aptiorem rationem vide n.10. Non sum ex iis qui ipsam dispositionem ad gratiam dicant esse posteriorem ipsa gratia in quodam genere etc).

2^o Alii respondent eodem fere sensu sermonem esse de ea fide quae perfecto corde adhibetur ex 2 Paral 16, ita tamen ut per cor perfectum non intelligatur homo qui iam sit in gratia sed qui perfecte ad eam disponatur credendo ut oportet, id est ea efficacia ut ea fides generet etiam amorem, dolorem etc, qua ratione credere non solum est unum ex requisitis sed ultima et perfecta dispositio; videtur enim Paulus id asserere omni credenti salutem tribui, quamvis id posset explicari non de salute quae semper confertur sed nescio quam ad mentem Pauli, qui certe id videtur agere in tota epistola quomodo consequatur homo iustitiam. Atque ita non loquitur de quacumque fide

³⁰⁴ SAN JUAN DE AVILA. *Libro espiritual (Audi filia II)*.c.44. BAC Maior 64, p.629.

christiana sed de fide perfecta, modo supra dicto; in quo etiam significatur monstrum esse mirabile quod non debet doctrinalis propositionis universalitatem et simplicitatem impedire, quod quis credat et in credendo consistat et velit manere in peccatis. Quod si obiicias id monstrum iam saepissime contingere et frequentius quam oppositum; nihilominus propositio Pauli verissimum habet sensum, quamvis si non loqueretur cum primitivis christianis apud quos rarum erat velle iacere in peccato, explicaret profecto de qua fide loqueretur.

10. Praeterea nota Paulum in eo quod fidem adeo commendat, et hominem ait iustificari per fidem, non id agere ut hortetur ad fidem recipiendam, quia agit cum fidelibus, sed neque eo praecipue spectat ut nostrum credere [f.147v] plurimi faciamus sed hic maxime intendit ut nostrae iustitiae gloria ad Christum omnino referatur, nam ea potissimum ratione fides ad iustitiam appropinquat quia per fidem homo desperata quacumque alia iustitiae confidentia et suis etiam viribus diffidens, in solo Deo per Christum confidit, et hoc est quod quidam aiunt applicare sibi Christi iustitiam per confidentiam contempta propria iustitia. (Hic est scopus Pauli, ut docet Augustinus, De spiritu et litera; esto es lo particular que tiene la fe et quod toties versat Paulus, id enim proprie non est amoris nec doloris etc). Quod non est intelligendum in sensu luterano sed ut Paulus loquitur ea ratione ut nolit homo suam iustitiam statuere id est a semetipso iustitiam consequi sed eam vere et realiter confidat per Christum adipisci, faciendo quod in se est et ex ipsius Christi auxilio, id est dolendo de peccatis, sperando, etc. Quae confidentia non reddit hominem certum de sua salute quia nescit an faciat quod in se est generaliter loquendo.

11. Sed dices: credere et confidere sunt admodum diversa; ergo male explicatur quid sit credere per confidentiam. Huic obiectioni videntur quidam respondere quod quamvis confidere non sit proprius actus eius fidei quae est prima inter virtutes theologicas, tamen in Sacra Scriptura, quando sermo est de Fide per quam iustificamur, accipitur fides et credere ut comprahendant utrumque, nam ad Rom 4 et ad Hebr 11, ubi explicatur fidei vis et natura, passim delabitur Paulus a credulitate ad fiduciam et a fidutia ad credulitatem quod non cohaerent si fides non comprahenderet utrumque. Adde quod locus Abacuc [2,4] quem citat Apostolus omnino est de confidentia, ut postea videbimus, et patet ex ipso Paulo ad Hebr 10 fine. Ego tamen, tum propter meliorem horum locorum nexum, tum etiam propter rationem convincentem dico confidentiam quamvis fortasse connotet actum spei tamen proprie loquendo esse actum credendi nam supposito quod Deus revelavit se velle omnes homines salvos fieri per Christum, nihil aliud est confidere in promittente

nisi credere illi, id est persuadere sibi quod stabit promissis, et saltem de hac confidentia est sermo in Sacra Scriptura, quam unusquisque sibi applicat generale promissum Dei, et haec proculdubio est actus intellectus atque adeo primae virtutis theologicae; imo sperare aliquando accipitur non pro actu quo volo ut mihi bene eveniat, sed pro confidentia qua mihi persuadeo quod bene eveniet, et eo modo spes etiam pertinet ad fidem, quando innitimur revelationi Dei vel ad aliam cognitionem, quando innitimur experientiae vel coniecturis probabilibus nam spes quae est secunda virtus theologica non est confidentia formaliter loquendo, sed firma volitio illius summi boni quantumvis sit difficile.

12. Supposito quod confidentia est quidam actus fidei, dubitatur an loquatur hic Paulus de fide universa prout comprahendit omnes actus quibus credimus ea omnia quae revelata sunt a Deo, vel peculiariter de isto actu fidei qui est confidentia; nam quod solum sit sermo de ista confidentia videtur colligi tum ex intentione Pauli super explicata n.7 et 10, tum ex loco Habacuc, de quo n.11 et postea, tum etiam ex contextu, quia dum ait Evangelium esse virtutem credenti, omnino debet intelligi credenti ipsum Evangelium, atqui cum Evangelium sit cornu salutis nobis promissae sub Christi humillitate et passione, credere illud erit credere Deo promittenti per Christum, atque adeo, confidere. Et haec confidentia, si bene intelligatur est quam Christi explicitam fidem vocat. Respondeo non posse negari quin id peculiariter intendat Paulus; et facit Tridentinum sess. 6, c.6, sed saltem implicite comprahendit etiam universam fidem, non solum concomitanter, ut actum amoris, poenitentiae etc, sed etiam in ratione formali, quia sermo est de ea confidentia quae innititur revelationi divinae, qui modus credendi includit fidem omnium eorum quae Deus dicit, quia si vel unum excipias, iam non eius veritate niteris. 2^a 2^{ae}, q.5, a.3.

13. Ultimo nota in explicatione propositionis nos solum fuisse loquutos accommodate ad iustificationem adultorum; an vero Paulus loquatur etiam de incremento iustitiae et de puerorum iustificatione vel haec relinquat ut inde colligatur de illis proportionalis doctrina, postea commodius dicetur. Quod vero dum negat omnem aliam salvandi virtutem, nihil deroget Sacramentis manifestius est quam ut oporteat immorari, quia Sacramenta sunt ipsius Christi instrumenta et quia ita non est eorum virtus alia a virtute Christi et Evangelii.

Lectio 6^a

Iudaeo primum et graeco

1. Plerique existimant per has voces determinari quibus primum allata sit salus, et quamvis prima facie illud *primum* videatur etiam ad graecos pertinere, tamen et graeci et latini aliter accipiunt, quasi diceret iudaeo primum deinde etiam graeco, ita ut inter se conferantur iudaei et graeci non vero cum aliis; in quo sensu consequenter [f.148] nomen graecorum comprahendit omnes ethnicos; quamvis non desint qui nomen graecorum accipiant ut sonat, referentes illud *primum* etiam ad graecos, ita tamen ut in ipso ordine praeponantur iudaei, quasi diceret primum quidem iudaeo et graeco, deinde caeteris omnibus gentibus. Favet Origenes³⁰⁵.

2. Dubitatur quid sibi velit illud *primum*. Respondeo, in communi sententia dupliciter accipi posse: —1°, ex Chrysostomo³⁰⁶ et plerique, ut solum dicat ordinem temporis, eo modo quo dici posset in omnibus gentibus praedicatur fuisse Evangelium, primum in Iudaea, deinde in Graetia, et postea denique in toto terrarum orbe, quod valet aliquantulum ad ostensionem illius generalis enuntiati. —2°, etiam posset quis dicere non solum ordine temporis sed etiam aliis maioribus praerogativis significari iudaeorum antecessorem. Nam si haec propositio est totius Epistolae summa quae postea late probatur et explicatur c.3, omnino contendit Paulus amplius quid esse iudaeo. Et explicatur quia ex illo populo Christus est ortus et primitiae Spiritus atque salutis evangelicae proculdubio illis delatae sunt accumulatissime, ita ut non immerito existimare possimus eos qui ex iudaeis receperunt Evangelium ampliori fuisse Dei gratia cumulos, sicut certum est eos qui reiecerunt maxime contra se iram Dei provocasse plus quam caeteros omnes. Et proculdubio illud spectabat ad Dei fidem et amicitiam quam cum illius populi patriarchis inerat. Adde quam in ordine divinae intentionis videtur gratia Evangelii communicata gentibus occasionaliter ex iudaeorum rebellionem et pertinatiam, quod multi loci Sacrae Scripturae significant, imo fere ubicumque agitur de gentium vocatione tractatur simul de iudaeorum reprobatione. Ut postea, c.11, in eo quod gentiles inserti dicuntur.

3. Nihilominus dico: hoc quod ait Paulus *iudaeo primum et graeco*, omnibus perpensis non dici in iudaici populi favorem sed potius ad iudaeorum et graecorum reprimendam superbiam et arrogantiam. In hanc sententiam inclino quia quamvis eius auctores numero et gravitate superentur ab altera, sed in caeteris omnibus meo iudicio valde superant. Pro quo nota, ex lectione praecedente n.6, constare illam propositionem, *Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti* esse exclusivam, neque enim aliter cohaeret textus nisi accipiat in hunc sensum: Evangelium est virtus Dei necessaria in sa-

³⁰⁵ ORIGENES, *Comment in ep ad Rom*, l.1, n.13. PG 14,858.

³⁰⁶ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom*, l.1, 16. PG 60,408s.

litem omni credenti. Unde quando subdit iudaeo primum et graeco perinde est ac si dixisset iudaeis primum et graecis esse necessarium Evangelium ut credentes salvi fiant. (Facit Ambrosius³⁰⁷ qui ait significari etiam iudaeos indigere Evangelio).

4. Pro hac explicatione facit primo quod ea ratione loquutio Pauli est significantior et maximam habet energiam, alioqui frigescit, nam iudaei confidebant in lege et graeci in philosophia et neutri existimabant se ad salutem indigere Evangelio, et propterea aptissime subiicit eos primum indigere. Quod genus loquutionis dupliciter solet intelligi, et uterque modus est ad rem: alter ut significantur aequales cum caeteris gentibus, id est nihilo superiores nam ad significandum aliquos qui se excusant pari iure caeteri plerumque dicimus eos primum ea lege contineri, id est nullo adhibito discrimine, sine ulla exceptione. V.g.: hay ley que todos paguen el alcabala ¿y los caballeros? Esos, primero. Alter modus est ut iudaei et graeci significantur aliquo modo inferiores, id est magis indigentes Evangelio, nam quo minus id agnoscebant eo magis indigebant; nam longius abest a salute superbus pharisaeus quam humilis publicanus.

5. Facit etiam pro eadem explicatione quod magis deservit ad contextum et ad Pauli intentionem; et id omnino est quod statim, c.1 et 2 persequitur, iudaeos et graecos sive philosophos maxime indigere Evangelio, adeo ut oportuerit c.3 illam sibi obiectionem proponere: *quid amplius est iudaeo?* Ne id videretur negare quod supra diximus, n° 2. Itaque praerogativa iudaeorum non est ex principali intentione epistolae, atque adeo non debuit in eius temate proponi, sed potius illorum subiectio atque repressio, id enim intendit Apostolus ut subditus fiat omnis homo Deo et Evangelio.

6. Praeterea confirmatur quia postea, c.2, Paulus bis utitur eadem loquutione ubi apparet nullius praerogativae fieri mentionem. Sed dices non accipi utrobique eodem modo [f.148v] nam sicut reprimuntur iudaei cum dicitur *tribulatio et angustia omni animae operantis malum, iudaei primum et graeci*, ita contra erigi et proponi videntur cum dicitur *gloria et honor et pax omni operanti bonum iudaeo primum et graeco*, maxime cum ea sit omnium doctorum sententia, ut Chrysostomi, Theophylacti³⁰⁸, Ambrosii³⁰⁹, D. Thomae³¹⁰, etc. Respondeo primum, sine patrum praeiudicio posse afferri quid ex contextu et aliquorum locorum collatione verisimilius videatur. Et ego eorum non reprobo

³⁰⁷ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,16*. PL 17,57.

³⁰⁸ THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom 1,16*. PG 124,350.

³⁰⁹ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,16*. PL17,58.

³¹⁰ THOMAS AQ., *In ep ad Rom, c.2, lect.2*. Ed Vivès 1876, t.20, p.415.

expositionem, imo dico fortasse posse cum nostra coniungi, quia saepe eidem loco Sacrae Scripturae subest duplex literalis intelligentia, de quo alibi. Et potuit Paulus iis praegnantibus verbis utrumque voluisse significare, scilicet, et iudaeis primum fuisse allatam salutem per Evangelium, et eos magis indigere, quia propositio Pauli est duplex, in sensu, ex lectione 5, n.6. Et qua ratione est affirmativa simpliciter sonat Evangelii salutem tribui omni credenti, primum iudaeo, deinde graeco, etc; sed qua ratione includit etiam negationem, id est neminem posse aliter salutem consequi, apte subiicitur id praecipue intelligi de iudaeis et graecis, et quod id praecipue respexerit Paulus in iis verbis id est quod ego mihi videor satis probare, in quo est iocunda allusio ad illum locum 1Cor 1[23], ubi notat iudaeos et graecos maxime offendi Evangelio tanquam re scandalosa et stulta. Idque videtur assumere in Epistolae temate, quasi diceret se deinceps id probaturum, ut statim facit.

7. Ad illud ergo quod obiicitur, scilicet c.2°, eadem verba intelligi in favorem iudaeorum cum ait *gloria et honor operanti bonum iudaeo primum et graeco*, Respondeo hoc potius esse pro nobis quia manifestum est ibi nullam includi iudaeorum praerrogativa, nam illico subdit *non enim est personarum acceptio apud Deum* et per se patebit ibi non praeferri iudaeos quia sermo est de praemio bonorum operum in quo caeteris paribus certum est nulla ratione praeferri iudaeum neque graecum. Neque ibi potest fingi ordo temporis, cum iste sit praeter rem et adeo incertum sicuti mors. Quare ipse locus cogit ut sine ulla prioritare vel ordinis vel dignitatis possimus intelligere quod dicitur iudaeo primum et graeco, ut patet n.4, et omnes interpretes fatentur c.2 in eo loco. Et posset fortasse dici Paulum etiam ibi quando promittit gloriam omni operanti bonum significare etiam quod alibi ait *non coronandum nisi qui legitime certaverit*, in quo omnes non operantes excludit, iudaeum primum et graecum, ita ut illud *etiam* pertineat ad eorum reprimendam superbiam et inanem confidentiam. Et facit ibi Chrysostomus. Verum quia non cogit contextus eo modo accipere ut in praesenti, Respondeo facili ratione, cum Paulus tam ex professo ostendisset iudaeos et graecos maxime contra se iram Dei irritasse, et illis prae caeteris tribulationem et angustiam fuisset comminatus, ne id videretur tribuere generi vel nationi quasi genus illud esset invisum Deo prae caeteris, ideo promittens omnibus bene operantibus gloriam, subdit iudaeum primum et graeco, id est iudaeis et graecis sine discrimine, nec enim natio est invisum Deo sed eorum peccata.

8. Praeterea in nostra explicatione concurrunt duo quae quilibet optaret. Primum est ut illa dictio *primum* pertineat etiam ad graecos ut videtur ipse textus postulare, maxime cum c.2 non possit aliter accipi ut patet n.7, et

durus est ut eadem verba eodem ordine collocata aliter et aliter intelligantur sine urgenti ratione; quia si dicas in graeco esse duplicem coniunctionem, scilicet iudaeo quam primum et graeco, vel iudaeo quidem primum et graeco. Respondeo saltem id nihil referre ut patet in eisdem verbis c.2. Et supra in illis *graecis et barbaris*, lectione 4, n.5. Alterum etiam est ut nomen graecorum non adeo late pateat sed accipiatur ut supra, lectione 4, n.5, nam quod quidam aiunt, graecam vocem ἑλληνι duas habere significationes, et in altera significare graecos in altera vero quovis ethnicum, fictum videtur ut patet ex Thesaurio Graeco ((no es fingido que fundamento tiene Jn 7,35)); et saltem apud Paulum nomen graecorum eos dicit qui sapientiam iactabant, ut patet 1Cor 1, et supra *graecis et barbaris*, et denique ubique. (Translatio syriaca supra transfert graecos, hic vero aramaeos, id est gentes, sed nescio quo fundamento).

9. Quod si adhuc velis construere iudaeo primum deinde graeco sive ethnico, ea saltem constructio *primum*, c.2, non habebit locum, quamvis hic possit in nostra sententia permitti. Nam et Contarenus videtur [f.149] construere ut iudaei dicantur magis indigere Evangelio quam graeci vel gentes. Et facit Oecumenius³¹¹ qui tandem interpretatur Paulum quando ait *iudaeo primum* significare iudaeos supra caeteras gentes esse debitores ut in Christum crederent. Sed simplicior est altera constructio et magis convenit sequentibus.

10. Inter eos tamen qui non interpretantur locum de remedii necessitate sed solum de universali eius virtute quae se ad omnes extendat tam iudaeos quam gentes (Sotus et Naclantus) non desunt qui illam particulam *primum* existiment non esse ullius praecessionis notam sed aequalis sortis et conditionis in consequenda salute; sed hoc est velle ut Paulus abutatur ea dictione sine ulla energia, si dicturus tam iudaeis quam graecis ait iudaeis primum deinde graecis et neque significat illos magis indigere vel minus opinari etc.

11. Praeterea nota non posse negari quin subobscura sit Pauli loquutio simplicem ut apparet propositionem ponit in sensu exclusivo ex lectione 5, n.6, et quia dicturus omnibus ad salutem opus esse fidem Evangelii, solum id explicavit per participium credenti. Sed iam lectione 5, id satis probavimus. Et supra, in Proemio, agentes de stylo et modo procedendi huius epistolae dicebamus eum esse morem Pauli, (sic dispensante divina Providentia). Sed ea explicatione stabilita, vix erit qui aliter intelligat quod subdit, iudaeo primum et graeco, quia si Paulus aperte diceret omnibus ad salutem opus esse fide, iudaeo primum et graeco, nemo prorsus aliter intelligeret; quod vero ea fuerit eius mens

³¹¹ OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom*, 2. PG118,354.

nullum credo esse dubitandi locum si ad contextum attendamus.

12. Ultimo dico hac ratione facillime id quod sequitur, *revelatur enim ira Dei* (in quo laborant interpraetes), nam cum id pertineat ad graecos et iudaeos, qui dixerat illos magis indigere, non opus habet eos iterum nominare, sed aptissime subiicit ad probationem eius quod dixerat, eos homines maxime habere Deum iratum et per consequens magis esse a salute et iustitia alienos, quare vere dictum esse eos maxime indigere remedio.

Lectio 7^a

Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, etc.

1. Varias sunt admodum huius loci interpraetationes, et oportet aliquas enumerare. Sotus et Naclantus existimant agi de iustitia quae in Christi Passione collucet, in qua ut aiunt theologi, satisfactum est de rigore iustitiae. In quo sensu potest videri Paulum alludere ad Ps 97 [98,2] *notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit iustitiam suam*, quod saltem mystice pertinet ad nostram redemptionem. Vel alludit ad illud Is 56 [1] *prope est salus mea et iustitia mea ut reveletur*. Quamvis in utroque loco sicut nomen salutis pertinet ad liberationem ab hostibus, ut patet supra lect.5, n.5, ita etiam nomen iustitiae aequitatem Dei commendat in eo quod iniquitatem illius durissimae oppressionis quam patiebamur quasi ferre nequit et vindicat; praestando ut vice versa nos triumphemus de inimicis nostris. Quare nomen iustitiae potius dicit salutem et liberationem quam valorem satisfactionis, atque eo modo cohaeret optime Evangelium esse virtutem Dei in salutem quia in eo tandem ostensa est iustitia Dei ad liberandum inique oppræssos a diabolo et peccato, etc., ex Ambrosio³¹², d. Thoma, etc. ex fide quam dederat, id est iuxta suas promissiones, et in fidem, id est ut ad hoc ut fidem deinceps sequamur, vel in gratiam fidelium, Martnez 10 Regum, vel ea iustitia et salus ex fide patrum revelata est, ex Origene³¹³, Chrysostomo, etc in fidem nostram id est quasi sublato velo exiit tandem ab illis figuris et implicita fide, et nobis re ipsa tradita est ut credamus et per fidem salvemur, vel ex fide patrum id est iuxta id quod ipsi credebant et expectabant, et fortasse ex fide in fidem id est ex fide qua in Dei fidem confidebant. Denique ex fide in fidem, id est ex mutua fide inter Deum et illos.

2. Origenes³¹⁴ in eo considerat Dei iustitiam quia sine personarum respectu, sine ulla exceptione omnes vult iustificare. Ambrosius explicat Deum

³¹² AMBROSIIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,17*. PL 17,58.

³¹³ ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.1, n.15*. PG 14,861.

³¹⁴ ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.1, n.15*. PG 14,861.

esse iustum in eo quod praestat quod promiserat; Naclantus per Dei iustitiam intelligit Dei bonitatem quae elucet in Cruce nam bonitas in Sacra Scriptura dicitur iustitia. Quae ambae explicationes eodem fere pertinent quatenus omnes versantur in explicando quomodo Deus sit iustus in Redemptione generis humani, nisi quod illa prima videtur accommodatior ad reddendam rationem eius quod Paulus probat; et [f.149v] convenit magis cum iis locis in quibus de salute et iustitia Christi sermo est, ubi ad iustae liberationis vim videtur utrumque referri considerato Christo tanquam optimo imperatore qui pro nobis bellum gessit et nostros debellavit adversarios.

3. Sed nota duo posse intelligi sub nomine iustae liberationis: alterum est ipsius principis victoria et triumphus quae et vindicta et iustitia nominatur in Sacra Scriptura; alterum est huius victoriae fructus in singulis hominibus, per quem ex virtute illius generalis victoriae liberatur iste cum effectu a daemonis captivitate praestando id quod victor ipse constituit; et quamvis utrumque dicatur salus et iustitia Dei in eadem metaphora, ut semper gloria referatur ad Deum, quia tamen illa liberatio cum effectu est hominis sanctificatio, et haec sanctificatio sive sanctitas vindicavit sibi iustitiae nomen, in alio quodam sensu quatenus hominis animam recte disponens erga Deum, erga proximos et erga seipsum, reddit unicuique quod suum est; ideo Paulus commutata metaphora quamvis alludat ad illius liberationis rationem saepe tamen iustitiam Dei nominat non qua ratione Deus declaratur iustus, sed qua ratione per eam iustificamur, et quod haec sit eius intentio patet ex locis adductis supra n.5, et ex orationis filo de iustificatione, atque ita explicant in praesenti Chrysostomus³¹⁵, Theophylactus³¹⁶ et reliqui graeci, et Beda ex Augustino quem sequuntur latini, et confirmatur ex contextu quia sequitur *iustum ex fide vivere*, de quo postea. Vel si placet dic Paulum utramque rationem voluisse includere eo quod fortasse utraque includatur in locis citatis, nam tribuendo nobis iustitiam declarat Deus se iustum dum liberat oppraessum a tyranno et declarando iustificat et iustificando declarat.

4. Sed dices quosdam nomina *salutis, iustitiae et vitae* quae hic ponit Paulus accipere de praemio fidei in coelo, nam illa erit corona iustitiae et perfecta salvatio et denique vita aeterna. Et facit Chrysostomus, Theodolus et Interlinealis. Respondeo perinde est disputare quod vera iustitia nulli contigit in hac vita nisi per Christum et quod non nisi per Christum pervenit homo ad coronam gloriae. Sed simplicius est Pauli propositiones accipere de sanctitate huius vitae, de ea enim immediate procedit quaestio et filum orationis, et nomina iustitiae et iustificationis vix possunt aliter intelligi. Scio etiam non

³¹⁵ J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 2*. PG 60,409.

³¹⁶ THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom 1*. PG 124,351.

desse qui revelationem iustitiae referant ad diem iudicii, in qua iustus iudex unicuique reddet pro meritis, et facit Rupertus, Habac 2 [4], et ea ratione videtur cohaerere quod sequitur de irae revelatione (sed ut alia taceam) non debet difficultas eo nos abducere ut quod dicitur nulla ratione connecti possit cum praecedentibus, quomodo enim inde probat Evangelium esse virtutem Dei in salutem omnium, quia in die iudicii se Deus iustum ostendet.

5. Iustitia ergo in praesenti vel accipitur pro vera sanctitate, quasi diceret revelari in Evangelio neminem esse vere iustum nisi ex fide, vel pro iustitiae fonte, quasi diceret que en la Cruz se ha descubierto la mina de la verdadera justicia y que ni hay ni hubo jamás otra post peccatum. Sed pro maiori intelligentia expendamus singula verba. Novimus iam quid appellet iustitiam, ¿sed cur eam appellet *Dei*? Maxime si non id agit quomodo Deus se iustum ostendat sed qua ratione nos simus iusti. Respondet Beda ex Augustino appellari *Dei*, id est a Deo datam, et sic procul dubio accipitur infra, c.3, v.21 et c. 10,3. Et facit ad Phil 3[9] *quae ex Deo est iustitia in fide*. Sed dices interim dum probatur veram iustitiam non esse nisi a Deo non debere dici iustitiam Dei quia hoc impedire videtur probationem, quia dicet quis iustitiam quae a Deo est esse ex fide, sed sine ea posse hominem esse iustum, quare plenius erat absolute dixisse iustitiam esse ex fide, nisi fortasse dicat: iustitia Dei, id est, coram Deo, vera et solida iustitia. Respondet Augustinus explicationem omnino esse sequendam ut constat ex ipso Paulo in locis supra dictis, quare dico eam non impedire probationem. Si construamus id nimirum esse quod revelatur, scilicet, iustitiam esse Dei vel a Deo et ex fide. 2º, etiam non impedit hac ratione revelatur nobis iustitia Dei tanquam id quod erat necessarium omnino ad hoc ut homo esset iustus. Ita ut haec propositio sit etiam exclusiva sicut ea quae praecedit, nam proculdubio id est quod Apostolus intendit.

6. Quando Paulus ait iustitiam in eo revelari, dubitatur quid sibi velit *in eo*? Ambrosius³¹⁷ explicat in eo credente, sive sit iudaeus sive graecus et posset accipi in eo revelari quasi diceret ipsi credenti innotescere vel ostendi in illo quia solum exhibetur illi quasi diceret in eo solum. Communior explicatio est iuxta Syriacam revelari *in eo*, id est in Evangelio, si tamen non accipiatur Evangelium pro praedicatione vel Ecclesia sed pro ipsa Christi Passione ut patet supra, lect.5, in principio. Praeterea fortasse posset construi sic: revelatur in eo id est ostenditur ea ratione consequenda, scilicet, *ex fide in fidem*; magis tamen videtur quadrare communis constructio, sed dubitant aliqui quis sit legitimus ordo: eam iustitiam Dei quae est ex fide in fidem revelari [f.150] in Evangelio, vel in Evangelio revelari quod iustitia Dei ex

³¹⁷ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom, 1,17*. PL 17,58.

fide. Respondeo primum ordinem magis sequuntur veteres, includit enim aperte utrumque, scilicet et iustitiam omnem deberi Christo, et eam esse ex fide, et utrumque intendit Paulus. Sed habet etiam alter ordo bonum sensum et fortasse significat ex ipsa Christi Passione innotescere quod iustitia sit ex fide, nam alioqui si per legem aut alia ratione homo posset iustitiam consequi, ergo gratis Christus mortuus esset, Gal 2[21]. Vel revelatur ex fide quasi diceret oculis fidei cognoscitur quantum bonum insit in Christi humilitate.

7. Tandem illa verba *ex fide in fidem* varie admodum tractantur, vide supra n.1 et suppono multa colligi a D. Thoma et Glossa. Sed nos ea solum colligemus quae pertinent ad explicandum hominem iustificari per fidem, nam iste videtur esse genuinus sensus; quod ergo in illo dicitur iustitiam esse ex fide in fidem varie accipi potest: —1º, ut haec phrasid dicat ipsius fidei incrementum, eo modo quo dicitur ibunt de virtute in virtutem Ps 83, ita ut sensus sit iustitiam incipere ex fide et augeri per eius incrementum, ex incipiente in proficientem, exercendo illam et progrediendo ulterius in ipsa fide. Vel revelari iustitiam Dei in dies magis innotescere iustitiae splendorem iis qui in fidei exercitio progressus faciunt. Vide Adam et Solis, id est suae artis c.7. Et facit Erasmus³¹⁸ qui explicat ex fide Dei perspecta in fidem nostram, quia nostra fides et confidentia crescit quo magis experimur fidem Dei in promissis etc. —2º, quod dicitur *ex fide in fidem* potest ipsius fidei modum et rationem explicare, et hoc multipliciter: -1º, ut significetur fides seu confidentia et praesentibus assentiri et in aeternum praemium respicere. Sic Theodolus, D. Thomas³¹⁹ et Beda ex Augustino qui adducit pro simili illud 2Cor 3[18] *transformamur a claritate in claritatem*, sive ut ipse legit *a gloria in gloriam*. -2º potest accipi haec phrasid ut explicet rationem confidentiae, ut postea, c.4, *in spem credidit*, ubi spes videtur dicere confidentiam, quasi diceret firmus in confidentia; similiter ergo fides in fidem erit illa qua certo confidimus. Vide supra lectione 5, n.11. -Vel aliter *fides in fidem* est illa qua nos in Dei fidem reiciamus et eius fidelitati confidimus. Vide ad Hebraeos 10[38] et Naclantus hic. *Sperandarum substantia rerum* (Hebraeos 11,1). *Nos autem spiritu ex fide spem iustitiae expectamus* [Gal 5,5] -Omitto hic alia quae minus verisimilia mihi videntur, ut quod ait Medina 3p, q.49, a.6, q^{la} 1, a.3, fine, scilicet hac geminatione hebraeos significare perfectionem alicuius rei (hispanismus de puerta en puerta). Et quod quidam aiunt in ea phrasid includi quemdam ipsius fidei ordinem, a fide quae prophetis adhibetur ad fidem Evangelii. Vide Theodulum.

9. -3º, possunt haec verba universalitatem quandam includere ut sit hebraismus similis ei quo dicitur a saeculo in saeculum, ex evo in evum, ex generatione

³¹⁸ ERASMUS R., *In Ep ad Rom*, I. O.O. t.6, Lugduni 1705, col.563.

³¹⁹ THOMAS AQ., *In ep ad Rom c.1*. Ed Vivès, t.20, p.396.

in generationem, quod est dicere omni saeculo, per omnes generationes. Sic ergo ex fide in fidem, id est numquam aliter comparari iustitiam nisi ex fide sive in Veteri sive in Novo Testamento. Vel ex fide in fidem, quasi diceret per omnem fidem sive iudaeus quis sit sive ethnicus. Vel per universam fidem, id est omnibus quae a Deo dicuntur credendo, quasi diceret ex fide omnium articulorum. Vel semper ex fide de mano en mano, de padres a hijos, predicando unos y oyendo otros. Vide D. Thoma et Adamum. Graeci addunt alias explicationes, scilicet ea phrasi notari fidei perseverantiam ad vitam aeternam consequendam, quasi diceret per fidem perseverantem et se aliis atque aliis actionibus prudentem. Quod ipsi dicunt ex fide in fidem desinentem, vel non esse mysteria fidei curiosius quam par est rimanda. De quo late Chrysostomus³²⁰. Seu vide hic Sixtum Senensem contra Lucianum. Aliter denique Vatablus : ut sicut Apostolus *circumcisos* vocat circumcisionem, sic fideles appellat *fidem*, atque ita illud *in fidem* erit in omnes qui credunt. Et consonat c. 3, *iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes qui credunt*, ubi per fidem idem est quod ex fide.

10. Denique in tanta varietate non admodum curo unam expositionem seligere, sed plures sunt satis probabiles dummodo tota propositio ita explicetur ut per eam probetur sive explicetur quomodo Passio Christi sit virtus Dei in salutem omni credenti, nimirum quia in illa solum nobis ostenditur iustificationis fons ad quam Deus omnes invitat ut credentes et confidentes iustificemur, atque adeo salvi fiant. Et notat Naclantus ut mollius currat expositio, aliquid esse subintelligendum, scilicet in Passione Christi revelari iustitiam Dei consequendam ex fide in fidem. Denique, utcumque sit, nulla ratione videtur cohaerere textus nisi sermo sit de iustificatione.

Lectio 8^a*Sicut scriptum est iustus autem ex fide etc*

1. 1^o nota non esse curandum in sensu de illa dictione *autem*, quia quavis in ipso textu Habacuc quem citat pertineat ad connexionem, Paulus ad rem nihil curat de illa atque ita omisit eam ad Gal 3[11], ubi citavit eundem locum. Praeterea nota corrupte legi *vivit* in plerisque libris, cum constet legendum esse in futuro *vivet* ex Ms G.H.S. et sanctorum interpretationibus, ut Hieronymi³²¹, Chrysostomi³²² etc. 3^o, quod Paulus ait ex fide, ex hebraeo legendum esse erat in fide ut habetur in nostra versione Habacuc 2, sed quia sensus videtur idem sequutus est Apostolus in hoc versionem 70. 4^o, 70 ap-

³²⁰ J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 2*. PG 60, 409.

³²¹ HIERONYMUS, *Comment in ep ad Gal 3*. PL 26,385.

³²² J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 2*. PG 60,409.

ponunt etiam pronomen ex fide mea, homo vero habetur in fide sua, in quo Hieronymus putat [f.150v] lapsos elementorum similitudine, quia solum interest unius lecturae mensura, Adamus vero credit illos de industria commutasse pronomen ut apertius significarent fidem esse donum Dei vel niti Deo, nam sensus proculdubio est idem, atque ita utramvis lectionem potuit sequi Apostolus: modo nostri libri neutrum pronomen habent in hoc loco; et Erasmus³²³ et Adamus reddunt optime rationem cur utrumque Paulus omiserit. (Symacus transtulit per propriam suam fidem). Sed Hieronymus, Habacuc 2, et D. Thomas³²⁴ hic, fatentur in hoc loco Apostolum sequutum fuisse 70. Et facit quod ad Hebr 10 idem locus citatur hoc modo *iustus autem meus ex fide vivet*. Theophylactus³²⁵, Habac 2, ait quaedam exemplaria habere *iustus meus*, quod eodem spectat. Sed res est parvi momenti. Et ad Gal 3 similiter legitur sine pronomine ut nos hic hodie legimus.

2. Notat Sotus hunc locum non adduci in confirmationem eius quod proxime dictum est *iustitia Dei revelatur ex fide etc*, sed illius quod supra dixerat *Evangelium esse virtutem Dei in salutem omni credenti*, sed iste modus connectendi valde durus erat ut patet consideranti; et praeterea iam vidimus secundam propositionem efficacius contineri id ipsum quod habetur in prima, atque ita fieri non potest ut una sine altera probetur; imo oportet ut istae etiam duae propositiones *iustitia Dei revelatur ex fide in fidem* et *iustus ex fide vivit* contineant eundem sensum, quia quando citatur aliquis textus dicendo *sicut scriptum est*, oportet ut ille textus contineat id ipsum quod per illum probatur; atque ita sicut interpretatio praecedentis propositionis iuvabit nos ad intelligendum locum Habacuc, sic etiam ex eodem loco confirmatur nomine iustitiae intelligi ea qua homo iustus est, id est Deo gratus.

3. Sed afferamus iam varios sensus. Et in primis non opus est immorari in refellenda stulta illa haeticorum explicatione qui hinc colligunt nullam aliam esse vitam et iustitiam nisi ipsam fidem, contra quos optime Arias, Habacuc 2, quia non est vita id ex quo vivimus, qui enin dicit vivitur ex raptu non ait rapinam esse vitam. Et manifeste Apostolus loquitur de fide tanquam de actione et dispositione per quam consequimur a Deo veram iustitiam sive illius incrementum, non vero quod ipsa sit iustitia. Sed inter catholicos ipse Arias, Habacuc 2, et Croquetius, ad Hebr 10, contendunt hoc in loco non agi de iustificatione, neque per vitam intelligi iustitiam sed constantiam in rebus adversis, quasi diceret, iustus fide nitetur ut vitae honestae constantiam non deserat quia adhibendo fidem Deo fiducialiter aget et perseverabit etc. Facit

³²³ ERASMUS R., *In Ep ad Rom 1*. O.O. Lugduni 1705, t.6, col.563

³²⁴ THOMAS AQ., *In ep ad Rom c.1*. Ed Vivès, t.20, p.397.

³²⁵ THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom, 1*. PG 124,351.

pro hac explicatione quod omnino videtur in eo sensu adduci ab ipso Paulo, ad Hebr 10, et ita prosequitur quod fides est *sperandarum substantia rerum etc. Sancti per fidem sunt ludibria et verbera experti, lapidati, mortui, etc.* quasi diceret firmi et constantes eo quod niterentur iis quae credebant. Et in eodem sensu citatur a Bto. Ignatio, epist. n.7. Facit praeterea quod multi cum Dionysio, Habacuc 2, vivere ex fide intelligunt esse operari iuxta id quod fides docet. Unde citatur ex Augustino in indice quod aliud est fidem habere et aliud ex fide vivere. Vide Solis, 1 Suae artis, c.53, donde compara el ejercicio de la fe al trato con que un mercader enriquece, et adducit Hieronymum³²⁶ ad Gal 3, qui eo modo descendit sub illo nomine iusti seu humilis ex fide auget humilitatem, patiens ex fide auget patientiam, etc. et illud est receptissimum ut vivere significet mores et operationes.

4. Praeterea ne Paulus videatur dissentire quando ex hoc loco infert iustitiam esse ex fide possemus dicere iustitiam saepe accipi in Sacra Scriptura pro iustis operationibus, atque ita idem erit iustitiam esse ex fide quod ad Hebr 11 ait *sancti per fidem operati sunt iustitiam*. Respondeo, nihilominus Paulinae disputationis filum consideranti et notanter legenti c.4 ad Rom, et c. 3 ad Gal exploratum erit Paulum potissimum agere de ea iustitia per quam homo gratus est Deo antequam iustitiam operationum habeat; quamvis qui primam illam iustitiam ait esse ex fide, consequenter intelligit iustitiam operationum esse ex fide, tum quia prima illa iustitia supponitur alteri tanquam fundamentum, et quod est causa causae est causa causati; tum etiam quia iustitia operationum est veluti perfectio et incrementum primae iustitiae, et per easdem causas unaquaeque res nata est perfici et nutriri per quas constituta est in esse, nisi quod fides ad primam iustitiam non habet rationem meriti sed dispositionis, ad eius vero augmentum potest iam habere rationem meriti quia iam supponitur homo gratus Deo, atque adeo capax meriti.

5. Dico igitur, locum vel intelligendum esse de prima iustitia, vel universaliter de utraque. Sic manifeste accipiunt Theophylactus³²⁷ et Theodoretus, Habacuc 2, et fere omnes expositores hic et ad Gal 3, ubi patet evidentius agi de prima iustitia quia adducitur iustum ex fide vivere ad probandum quod ex lege vel ex eius operibus non iustificatur apud Deum, et eodem modo interpretatur hic D. Ambrosius quia similiter hic adducitur ad probandum Evangelium esse in salutem omni credenti, quod manifestum est intelligi etiam de prima iustificatione; vide D. Gregorium in id Cant 4 *veni de Libano [f.151]* ubi adducit hunc locum pro iis qui quamvis assidue cadant tamen ex fide iustificantur.

³²⁶ HIERONYMUS, *Comment in ep ad Gal*, 3. PL 26,384.

³²⁷ THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom 1*. PG 124,351.

Denique ego non auderem asserere hunc locum non pertinere ad primam iustificationem, quia manifeste Paulus vult ut de illa intelligatur.

6. Sed dices non facile intelligi quomodo id faciat ad intentionem prophetae qui cum ad populum captivitate babilonica oppressum loquatur et in Dei promissione confidere iubeat ut se liberandos esse omnino credant, subdit quod incredulus punietur a Deo, iustus autem ex fide vivet. Respondeo saltem sub eo cortice designavit propheta universum hominum genus esse sub daemonis tyrannide et potestate, quibus Christi redemptionem pollicetur, atque ita monet ut omnes intelligant se non aliter nisi per eius redemptionis fidem seu confidentiam liberari posse ab ea captivitate, quod est vitam et salutem consequi. Imo Hieronymus existimat hunc esse literalem sensum, et idem sequitur Glossa, et Haymo et Beda, quos citat Dionysius. Unde quod ait *ex fide vivet* intelligitur de fide in Christum, et illud *vivet* quamvis possit referri ad vitam aeternam, id est ad beatitudinem ut patet lectione 7, n.4, sed melius est proxime intelligere de ipsa prima iustitia quae saepe appellatur in Sacra Scriptura *vita*, ut 1Jn 5 *qui habet Filium Dei habet vitam*. Sed consequenter intelligitur etiam de eo vivere quod est bene vivere, id est iuste operari. Atque ita potuit etiam Apostolus in eo sensu citare ad Hebr 10. Sed nota quod videtur propheta in illa phrasi captivos computari cum mortuis quia ut dicitur, libertad es vida. Proverbium: qui habet Filium Dei habet vitam.

7. Sed obiicies adhuc, cum dicitur *iustus ex fide vivet*, iam supponitur esse iustum; ergo non est sermo de consequenda iustitia sed de illa conservanda et augenda. Respondeo primo, posse construi sic : qui ex fide iustus est ille vivet, quasi diceret ille erit vere iustus no pintado sino vivo y verdadero. Vel, secundo, ex fide vivet, qui vere iustus fuerit sive iustus meus ut legitur ad Hebr 10, quasi diceret tunc vere erit iustus cum ex fide vitam consequatur. El justo por la fe lo ha de ser. Et adverte non propterea supponi quod iam sit iustus ex eo quod dicitur in futuro *vivet*; quia hebraei ut saepe videre est in Sacra Scriptura propositiones universales atque scientificas quas nos dicimus absolvi a tempore illi proferunt per futurum, atque ita haec propositio est veluti definitio vere iustitiae, quasi diceret iustus est iustus ex fide, id est habens vitam per fidem in Christum.

8. Adhuc superest explicare quomodo sint idem ex fide et in fide. Respondeo iam satis patet quod ex fide idem est quod per fidem. Nam eandem propositionem c.3 repetit Paulus iustitia Dei per fidem Iesu Christi, etc. Atqui constat praepositionem *ex* sive *in* idem saepe sonare quod *per*. (Vide Martinez l.8, c.10) idem ergo erit ex fide et in fide. Quamvis nisi fallor ille modus loquendi in fide videtur magis explicare confidentiae rationem. Vide id ad

Gal 2, *quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei*, sobre su palabra, en su fiducia. Perpende an sibi correspondeant hi loci, sed nota in illo ad Gal 2, vivere non pertinere neque ad primam neque ad secundam iustitiam, ut optime ibi Seripandus.

9. Denique habemus ex dictis eundem esse sensum trium illarum propositionum, scilicet Evangelium esse in salutem omni credenti, et iustitia Dei in eo revelatur ex fide, et iustus ex fide vivit. Sed 2^a explicat magis primam, et 3^a confirmat utramque ex Habacuc. Et in his propositionibus continetur totius epistolae summa, si non solum accipiuntur affirmative, sed etiam negando omnem salutem et iustitiam et vitam, nisi ea quae Christo nititur; et iis praesertim negando qui vel in lege vel in philosophia confidebant, nam illud quod supra est dictum iudaeo primum et graeco extendet suam vim ad omnes tres propositiones. Unde optime cohaeret quod sequitur, scilicet eos maxime habere Deum iratum atque adeo non esse iustos. Sequitur ergo

Lectio 9^a.

revelatur enim ira Dei de coelo, etc

1. Constat iam quam apte subiiciat Apostolus de iudaeis et graecis eos maxime habere Deum iratum, nam eos notantes excluserat a vera iustitia nisi ad Evangelii fidem confugiant, quasi diceret inanem esse eorum confidentiam in lege vel philosophia. Cum ergo proposuisset tanquam totius epistolae statum neminem esse iustum nisi ex fide evangelii quantumvis sit iudaeus vel graecus, subdit nam constat contra se experiri vindictam Dei, cum eius cognitione abusi sint, iustissime sunt ab eo derelicti, atque adeo in gravissima peccata prolapsi; quod ut clarius ostendat Paulus enumerat eorum scelera atque flagitia usque ad finem capitis. Et quamvis id intendat efficere, scilicet omnes esse peccatores et egere gloria Dei seu Cruce Christi, non tamen descendit sigillatim ad alias nationes quia manifestum erat nullius neque fucatae iustitiae vestigium esse apud eos qui Deum verum non agnoscebant; quotquot autem agnoscebant graecorum et iudaeorum nomine comprahenduntur, [f.151v] et constabat si apud hos non erat iustitia nullibi esse.

2. Revelationem irae Dei Hieronymus, Habacuc 3[2], *cum iratus fueris* accipit quasi Paulus diceret se Deum ostendere iratum in eo quod peccatoribus comminatur, et ait aliud esse inferre iram et percutere, aliud vero revelare ut terreat, et quamvis in revelatione punitionem intelligas Irenaeus et Chrysostomus³²⁸, homil. 9 ad populum antiochenum, legunt *revelabitur*,

³²⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Ad populum antioch. homil.9.* PG 49,105.

et referunt ad diem iudicii, quod eodem spectat. Facit quod multi intelligunt Deum revelare, id est docere et credendum proponere impiis et peccatoribus manere supplicium. Et denique sive hac sive alia ratione ad aeternum supplicium multi referunt quos referunt Grandis et Adamus. Et sicut supra dictum est iustitiam Dei in Evangelio revelari, sic aliqui revelationem hanc irae per evangelicam doctrinam fieri interpretantur, quasi diceret revelatur enim ira Dei in Evangelio sive quod in Novo Testamento sint illustriora de hac re testimonia, ut ait Adamus, sive quod cum antea plerique mortalium seu connivente Deo peccarent, postea adversus omnes iniustos merito iram Dei accensam esse palam fiat evidentiore punitionis demonstratione, ut ait Erasmus. (Aliqui *de coelo*, tanquam de firmamento, id est firmissime. Vide Isaia 34,5 *inebriatus est gladius meus in coelo*).

3. Verum nihil horum videtur admodum ad rem. Simplicius ergo est ex ipso textu eam accipere revelationem irae seu vindictae quae statim explicatur cum dicitur *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum etc.* Quod si causam inquiras ea est quod *veritatem in iniustitia detinuerunt*, quod etiam late exponitur cum ait *non glorificaverunt Deum neque gratias egerunt sed evanuerunt etc.* Quod autem ait *de coelo* potest etiam ad revelationem et ad iram pertinere, nam de coelo idem est quod coeleste et coeleste idem quod magnum et magnae vindictae maxima demonstratio est derelictio et induratio peccatoris, vel de coelo, id est de tribunali supraemo unde maxima visa sunt provenire supplicia (vide Naclantum). Sed dices non quodlibet peccatum punit Deus ea ratione et tamen ait Paulus revelari iram Dei super omnem iniustitiam; ergo non est ille sensus. Respondeo proculdubio debere accipi collective illud quod ait *super omnem impietatem et iniustitiam*, quasi diceret super tot ac tanta illorum scelera; nam omnino intendit Paulus ostendere eos esse sceleratissimos, ut ex sequentibus patet; atque ita nihil attinebat asserere singula peccata esse a Deo punienda. Praeterea non oportet ut haec induratio et tantorum flagitiorum permissio in singulis verificetur in universum: nam ad Pauli intentum, scilicet ut ostendat nullam esse iustitiam nisi ex fide Evangelii, et inanem esse confidentiam in lege vel philosophia satis habet si ut in plurimis loquendo illi qui in lege vel philosophia confidebant ostendantur tanta fuisse peccatorum mole oppraessi, nam inde evidenter efficitur neque legem neque philosophiam sufficere ad iustitiam, atque adeo neminem esse iustum ex vi illarum.

4. Sed calumniabitur quis Pauli rationem quia similiter posset quis obiicere christianos maiori ex parte esse multis criminibus obnoxios et tamen non inde efficit per fidem et christianismum non comparari iustitiam. Respondeo, imo potius ex eo quod plerumque homines sive christiani sive ethnici maxima ex parte sunt peccatores, inde sequitur ad fidei remedium

confugiendum esse, nam confugere ad legem vel philosophiam est aliquid de nostris viribus sperare, sed confugere ad fidem est confugere ad Deum desperata quacumque alia iustitiae confidentia. Pro quo iterum atque iterum legendum est quod supra diximus lectione 5 § 10. Respondeo 2°, non esse confugiendum ad solum fidei habitum seu christianismi professionem nam argumentum optime probat hoc non sufficere ad iustitiam (si Paulus legitime argumentatur) sed confugiendum est ad eiusmodi fidem quae ultimo disponit ad gratiam, praestante homine quod in se est ex Dei auxilio, ut ab ipso per fidem Christi consequatur iustitiam. (Aliqui per impietatem intelligunt incredulitatem ex qua sequitur iniustitia).

5. Nomina *impietatis et iniustitiae* varie et bene explicari solent. Quod sequitur *hominum eorum etc.* Plerique referunt ad graecos, id est ad philosophos, et notant sigillatim disputare Paulum, primum contra philosophos, capite 1°, et deinde, capite 2°, contra iudaeos, sed optime Augustinus, Beda, Naclantus, existimant non esse adhibendam eam distinctionem, quia cum Paulus simul dixisset *iudaeo primum et graeco* neque expressisse nominet hos vel illos neque hic neque c.2°, sed potius continuet dicendo *propter quod inexcusabilis est etc.*, multo aptius [f.152] est ut simul contra utrosque intelligatur agere, quamvis hac vel illa ratione videatur vel solos graecos vel solos iudaeos respexisse ut solet concionator cum loquitur ad promiscuam multitudinem. Et facit quod hac ratione oratio Pauli erit plenior et universalior, quam constat non debere sine ratione restringi. Cum ergo ait eorum hominum, et iudaeos et graecos comprahendit, quasi diceret eorum quos dixi. Quamvis cum in graeco non habeat illud pronomen *eorum*, forsam propositionem universalem assumit ut eam postea utrisque applicet, quasi diceret iram Dei revelari super detinente in iniustitia veritatem Dei et hos esse iudaeos et graecos.

6. *Qui veritatem Dei in iustitia detinent.* Videtur interpraes addidisse genitivum *Dei* quia non est sermo de omni veritate, ut ex sequentibus patet, sed de theologica ut ita dicam, quae suapte natura extimulat ad religionem et pietatem. Porro detinere hanc veritatem in iniustitia tripliciter potest intelligi: —1°, ut idem sit quod abuti illa ad iniustitiam, id est ad omne peccatorum genus. — 2°, detinere est quasi abscondere sub medio ne luceat, id est pravis actionibus impedire eius splendorem et quasi cinere operire prunas et conari ne collucendo prohibeat libere peccare, nam *qui male agit odit lucem.* — 3°, in eodem fere sensu plerique referunt ad carceris metaphoram, veritas enim cognita quasi incarcerata detinetur dum non permittitur exire in opus et suam vim exercere.

7. **Quia quod notum est Dei.** Ut probet illos supradictam iniuriam veritati irrogasse explicat eam cognitam fuisse ab illis atque adeo esse inexcusabiles quia quod notum est Dei, id est quidquid de Deo hactenus cognoscebatur ab illis utique cognoscebatur, id est a judaeis et philosophis, utrisque enim licet varia ratione eas divinas veritates manifestavit Deus; nam quamvis id non revelaverit peculiariter graecis, dedit tamen eis lumen intellectus et proposuit mundi fabricam (ex Ambrosio³²⁹ et Chrysostomo³³⁰) ex qua evidenter potuerunt auctorem invisibilem cognoscere **invisibilia enim ipsius etc a creatura mundi.** (Origenes pro *invisibilia*, los ángeles). (Naclantus curiose pro invisibilia intelligit misterium Trinitatis et digreditur late et per anathema mundi philosophos, sicut dicitur filii saeculi). Vox graeca et latina anceps est, nam pro creatione quidam accipiunt quasi diceret ex ipsa mundi constitutione id est creatione, ut legit Augustinus³³¹, 8 De Civitate, c.9, Athanasius contra idola; et pro homine etiam accipitur a D. Bernardo et scholasticis qui cum creatura rationalis anthonomastice appellatur creatura, quasi diceret ex operibus Dei creaturam pervenire in notitiam invisibilis creatoris et ait in plurali *invisibilia Dei*, scilicet divinitas, potentia, sapientia, bonitas etc, et haec ait intellecta conspici, id est intelligi et conspici seu pervideri, id est non solum probabiliter sed etiam demonstrative cognosci. (Alii quasi diceret in qualibet creatura que es una hormiga se descubre quien es Dios). Deinde quod subdit **sempiterna quoque eius virtus et divinitas** explicationis gratia additur et improprie accipitur illud *quoque* pro particula *que*, ut patet ex graeco, ubi etiam maiorem vim habet illud *dicentes se esse sapientes*, quasi diceret Blasonando de sabios et illud **evanuerunt in cogitationibus suis.** (Melius Cajetanus³³² per opera intellecta, non sensata solum et imaginata, sed etc). Et illud *evanuerunt in cogitationibus suis* id est, que filosofaron en vano, vanagloriándose en sus discursos. Hanc enim superbiam facit Apostolus veluti radicem aliorum peccatorum, el envanecerse y no atribuir a Dios la gloria. Quare est quod omnes timeamus et humilitatem discamus. (Et abundat particula *enim* ut notat Adamus ex Augustino).

8. **Et mutaverunt gloriam etc.** Manifeste hoc pertinet ad idololatriam, sed haec potest dupliciter intelligi, — 1º, quod deferatur honor tanquam veri Dei similitudini, sed ex intentione volendi alium adorare, et huic sensui magis deservit nostra lectura et consentit cum latinis explicatio graecorum

³²⁹ AMBROSIVS, *Comment in Ep ad Rom, 1, 18.* PL 17, 59.

³³⁰ J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 3.* PG 60, 411.

³³¹ AUGUSTINUS, *de Civitate, 1, 8, c. 9.* PL 41, 233.

³³² THOMAS A VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom 1, 21.* Lugduni 1639, t. 5, p. 7.

Chrysostomi³³³, Oecumenii³³⁴ et Theophylacti³³⁵. — 2° potest deferri latrariam idolo tanquam veri Dei similitudini vel simulacro, et hoc credit Erasmus, Vatablus magis significari in textu graeco et facit illud Act 17[29] *genus ergo cum simus Dei non debemus existimare auro vel argento aut lapidi sculturae artis et cogitationis divinum esse simile* et Is 40,18 *cui ergo similem fecistis Deum*. (En el sentido de Erasmo venía más a propósito el concepto que aquí dicen que suele castigar Dios con permitir que pierda la fe qui eam in iniustitia detinet, en el otro sentido no viene bien porque illa idolatria sine fidei amissione fit). Sed magis placet communis explicatio quia sermo est de iudaeis et philosophis verum Deum cognoscentibus in quos vix videtur cadere posse secundum sensum adorationis. De altero vero habemus multa in Sacra Scriptura de iudaeis et non sunt minus admiranda quae de aegyptiis referuntur apud quos viguit studium sapientiae. Vide en contra Celsum³³⁶, et Adamum hic, et perpende quo cecitatis et miserae posit pervenire humana mens. [f.152v]

9. **Propterea tradidit illos Deus.** Quomodo unum peccatum possit esse alterius poena diximus in disputatione de voluntate Dei, dubio 2, non quod peccatum ulla ratione infligat Deus, sed quod auferendo efficaciora auxilia videtur tradere miserum hominem in manus suorum inimicorum, id est passionum atque diaboli — a un hombre que en mi casa se guarecía de la justicia el dar licencia que le prendan es como entregarle a la justicia. (*Viam fecit semitae irae suae*, Ps 77,50, id est recedet zelus meus a te. *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum*. Si in *desideria*, ergo ellos tienen la culpa. Ad Ephes 4[19], *desperantes semetipsos tradiderunt* etc). Vidimus praeterea quomodo verum sit id quod Augustinus³³⁷ docet, 5 Contra Julianum, c.3, et De gratia et libero arbitrio³³⁸, c.21, aliquando Deum non solum subtrahere auxilia sed etiam compellere et inclinare voluntates in malum, id est adhibendo occasiones et offencicula ad quae gravius impacturi sint suo vitio, et subministrando oportunitates ad quas ipsae concupiscentiae ardentius inflammandae sint. Unde Augustinus, c.3, facit, inquit, haec miris et ineffabilibus modis qui novit iusta iudicia sua non solum in corporibus hominum sed etiam in cordibus operari, qui non facit voluntates malas sed utitur eis ut voluerit, neque hoc supplicium solum intelligitur de philosophis sed etiam de iudaeis ut supra patet, et ex Sacra Scriptura saepe.

³³³ J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 3*. PG 60,414

³³⁴ OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom 1*. PG 118,346.

³³⁵ THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom 1*. PG 124,355.

³³⁶ ORIGENES, *Contra Celsum*, l.4. PG 11,1074.

³³⁷ AUGUSTINUS, *Contra Julianum pelagianum*, l.5, c.3. PL 44,789.

³³⁸ AUGUSTINUS, *De Gratia et libero arbitrio*, c.21. PL 44,908.

10. Perpende quam abiecta et misera res sit luxuria, quandoquidem ea ratione manifeste nobis consideranda proponitur coelestis irae vindicta adversus idolorum cultores; neque solum sermo est de nefanda libidine sed etiam de usitata, de hac enim interpretatur Augustinus quod dicitur *ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis*, ut sint gradus quidam quamvis alii intelligant de facta libidine uniuscuiusque apud se vel etiam de sodomia, ut *in seipsis* idem sit quod *inter se*. Sed dubitatur quae proportio sit inter idolatriam et luxuriam ut proponatur tanquam conveniens supplicium, ait enim Apostolus *mercedem quam oportuit in se ipsis recipientes* quasi diceret dāndoles Dios su proio mercedo. Respondeo 1º, illud *erroris sui* posse referri ad superbiam iuxta illud celebre Augustini dictum occultam superbiam punit Deus manifesta luxuria. Sed quia proxime sermo est de idololatria, Respondeo 2º, proportionem fortasse illam esse propter quam saepe idolorum servitus in Sacra Scriptura appellatur fornicatio. Respondeo 3º, et melius, optime convenire *ut similes idolis fiant qui faciunt ea*, iuxta Ps 13[1] et *ut abominabiles fiant sicut ea quae dilexerunt*, iuxta Os 9,[10]. Iustum ergo est ut qui venerem colunt veneri tradantur puniendi, sic qui adulterum iovem, etc, et hoc est dimittere hominem in desideria cordis sui, id est en los deseos que le movieron a idolatrar implicitamente. Et nota, etiamsi idololatria sit gravius peccatum, nihilominus sodomiam et alia eiusmodi videri quodammodo sordidiora et foetidiora; atque ita eo supplicio agnoscimus quam sit Deus iratus illis quos eiusmodi tradit sentinae.

11. Repetit iterum Apostolus causam : ***commutaverunt veritatem Dei in mendacium*** porque trocaron el verdadero Dios por el falso, ***et coluerunt et servierunt*** ex graeco patet esse latriae verba ***creaturae potius quam Creatori***. Hilarius³³⁹, 12 De Trinitate *creaturae praeterito creatore, qui est benedictus in saecula*, id est quem aeterna adoratione beati angeli colunt et laudant. Et subdit *Amen*, quod vel est confirmantis, quasi diceret verissime benedictus, vel aplaudentis, quasi diceret fiat fiat. Et progreditur ***propter quod***, id est propter idololatriam, ***tradidit illos Deus in passiones ignominiae***, id est ignominiosas vel probrosas. Malent grammatici legere cupiditates affectus vel animi perturbationes, sed passionis nomen valde placuit Augustino³⁴⁰, 9 De Civitate c.4. Deinde enumerat Apostolus portentosas libidines et illud operantes habet in graeco quandam praepositionem quae denotat intentionem ac pertinaciam, ut notat Oecumenius³⁴¹. (Nota orationis impetum et vehementiam). [f.153]

12. ***Et sicut non probaverunt***. Illud *sicut* accipitur ut *quia* et connotat

³³⁹ HILARIUS PICTAVIENSIS, *De Trinitate*, l.12. PL 10,435.

³⁴⁰ AUGUSTINUS, *De Civitate*, l.9,c.4. PL 41,258.

³⁴¹ OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom 1*. PG 118,347.

aptam consequentiam, et est hebraeohispanismus. Dicimus enim “como no hizo el deber despidiéronle” etc. Deinde non probare est quasi non approbare, no gustar, no curar, no querer, no traer a Dios delante, no ser de parecer, de mirar siempre que nos está mirando. Ita fere graeci. Quavis paulo aliter Ambrosius³⁴². 2º, alii *non probaverunt*, id est non ostenderunt re ipsa se Deum cognoscere, quia cognoscentes eum, factis negarunt. 3º, quidam noluerunt experiri et quasi tentare no probaron siquiera a andar algunos días en la presencia de Dios. Et quidem, has omnes explicationes patitur verbum latinum quia probare est approbantis et confirmantis atque tentantis. Sed 1ª explicatio est magis ad rem propter colusionem quam facit Apostolus inter verbum *probare* et *reprobam mentem* vel sensum: in quem ait illos fuisse traditos. Es una estima de las cosas tan mala tan reprobada que todas sus obras vienen a ser *ea quae non oportet*, al revés de lo que les está bien. Praeterea quomodo accusativi sequentes fortasse commodius legerentur in nominativo, vide Erasmum³⁴³, in quo et in Adamo invenies ea quae in singulis vocibus notari possunt ex vi graeca. Tres allusiones non potuit noster exprimere inter malitiam et fornicationem, inter invidiam et homicidium, et inter compositos et insipientes. Sunt praeterea notatu digna similiter cadentia et energia, quibus graeca oratio est multo vehementior quamvis in nostra lectione sit satis admiranda. (πορνεία πονηρία φθονου φονου ασυνετους ασυνθετους)

13. *Qui cum iustitiam Dei cognovissent*. Non est hic nomen graecum quod proprie significet iustitiam sed illud quod in Psalmis iustificatio appellatur quod est idem cum praecepto vel lege; quare sensus est cum non ignorarent ius divinum, cum nossent quid Deus iustissime praecipiat. Deinde in huius clausulae et capituli complemento nota ex Adamo in graecis codicibus fuisse varias lectiones ut patet ex Origene³⁴⁴ et Oecumenio, nempe tres, nam Chrysostomus³⁴⁵, Theophylactus³⁴⁶, Oecumenius³⁴⁷ et maiori ex parte codices graeci, legunt *cum iustitiam Dei cognovissent*, scilicet quod qui talia agunt digni sunt morte, non solum ea faciunt sed etiam patrocinantur aliis ut faciant. Origenis vero lectio in absoluta quidem est et fortasse corrupta sed in sensu nobiscum consentit. Qui latinos sequuti codices et Ambrosium³⁴⁸ et Ciprianum legimus *cum iustitiam Dei cognovissent non intellexerunt quod qui talia agunt digni sunt morte*, idque non per interrogationem ut videtur

³⁴² AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom*, 1,28. PL 17,64.

³⁴³ ERASMUS R., *In Ep ad Rom 1*. O.O. Lugduni 1705, t.6, col.566.

³⁴⁴ ORIGENES, *Comment in ep ad Rom l.1*, n.16. PG 14, 862.

³⁴⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom 1*. PG 60,423.

³⁴⁶ THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom 1*. PG 124,362.

³⁴⁷ OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom 1*. PG 118,350.

³⁴⁸ AMBROSIUS, *Comment in Ep ad Rom*, 1,32. PL 17,65.

velle corrigere Erasmus³⁴⁹, sed affirmatione; non intellexerunt, id est non serio cogitarunt apud se, non bene perpenderunt supplicium quod manet eos qui talia agunt, nec solum agentes sed etiam consentientes, quasi diceret sit ita quod aliqui eorum non fuerint tantis flagitiis cooperti, ut Socrates, omnes tamen digni sunt morte cum salten tacendo consenserint. Quae lectio propterea magis quadrat quia in universum stringit omnes.

Constructio Capitis primi post salutationem

(Numeri ad lectiones referuntur)

1. Igitur ut hinc incipiam omnino velim ut sciatis ideo me de vestrae fidei fama laetari ut semper de illa gratias agam Deo meo offerendo illi sacrificium laudis per Christum pontificem nostrum.

2. In cuius rei fidem ipsum Deum adhibeo testem (quem iam non iudaice exterioribus solum caeremoniis sed praesertim interiori meo cultu evangelice adoro) quod numquam omittam in meis orationibus mentionem de vobis, quod de statutis horis ad orandum intelligo, in quibus obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones sunt inter se connexae et colligatae.

3. Et illud etiam peculiariter obsecro ut aliqua iam tandem ratione dignetur Deus meum iter ad vos dirigere : vehementer enim opto videre vos ut coram communicem aliquid de spirituali gratia Evangelii, ut maiorem habentes cognitionem firmiores sitis contra omnes tentationes : in quo non dico vos vacillare, sed et vobis et mihi magno solatio futurum si de iis rebus possimus ultro citroque sermonem conferre, communicata nostrae fidei professione cum mutua confidentia et amicitia.

4. Certiores autem vos facio non solum me desiderasse, sed etiam saepius me ad iter comparasse cum magna spe fructus percipiendi non minoris quam in caeteris gentibus : hactenus tamen maximis sum occupationibus impeditus; quia cum omnibus debitor sim, urgent me multi alii creditores. Non igitur per me hactenus stetit qui potius valde gestio et vobis, o romani, praedicare : nec enim me pudet eius rei quam praedico; quia quamvis Evangelium prima specie videatur esse pudori et confusione, scilicet incarnatio et crucifixio Filii Dei,

5 nihilominus re vera est maxima Dei potentia et gloria ad hominum redemptionem: omnis enim qui rite per fidem ad Christum confugerit salutem consequetur, neque ullus alia ratione salvari poterit et haec est huius meae

³⁴⁹ ERASMUS R., *In Ep ad Rom 1*. O.O. Lugduni 1705, t.6, col.568.

epistolae gravissima thesis, scilicet Evangelium esse omnibus necessarium ad salutem, et cum omnibus dico neminem excipio;

6. Sed potius illos maxime includi volo qui se minus putant indigere, nimirum iudaeos et graecos, quorum illi suae legi, et isti philosophiae inaniter confidunt. Ego vero dico neminem posse a Christo liberari nisi confugiendo ad Christum per fidem.

7. quia in eius cruce et non alibi iustitiae fons nobis aperta est ex fide consequendae et augendae per progressum in ulteriorem fidem;

8. Et hoc est quod habetur Habacuc 2 [4] ubi docemur non esse aliam iustitiae rationem nisi per fidem vivere, scilicet per fidem Christi: [f.153v] quod tam de iustitiae consequutione quam de eius incremento intelligendum est.

9. Quod vero neque iudaeos lex neque graecos philosophia, ad iustitiam atque salutem perducatur inde satis probatur quia constat illos contra se fuisse expertos gravissimam Dei vindictam in eo quod derelicti sunt et traditi in turpissima flagitia et omne aliud sceleris genus : nam lex quidem et philosophia tribuerat illis divini numinis et voluntatis eius cognitionem; sed reddita est huiusmodi cognitio vana et inutilis atque adeo maioris iniustitiae et impietatis occasio, quia cum non tribueret vires ad iuste et sancte vivendum, ex illa inciderunt in superbiam, et ex superbia in idololatriam, propter quam iustissime et convenientissime traditi sunt foedissimae libidini et veluti in profundum peccatorum proiecti. Etsi forsitan inter illos absque eo quod Christi iustitiae niterentur, nihilominus purioris vitae fuisse putentur; saltem visi sunt in aliorum peccatis consentire; atque ita nemo tandem vere iustus sed omnes peccatores et mortis rei.

(sequitur **Circa Caput 2^{um}**)